
LABORUM DULCE LEVAMEN
P.A.M.
LAST WORDS
FLOWERS & SONG
CHIPS AND SPLINTERS
FREDERIC ROWLAND MARVIN


ABCDEFGHIJKLMN
OPQRSTUVWXYZ
RADIX
ERVDITIONIS
DVLCIS
AMARA
FRVCTVS
LIBRIS
GEORGE A. PLIMPTON

Plimpton

SCHURMAN (Anne-Maria é) Eukleria seu Melioris partis electio, FIRST EDITION, *water-stained, brown morocco, gilt sides, gilt top, uncut.* *Altonæ ad Albim,* 1673

A. M. à SCHURMAN

ΕΥΚΛΗΡΙΑ

SEU

Melioris Partis

ELECTIO.

Tractatus
Brevem Vitæ ejus Delineationem exhibens.

Luc. 10: 41, 42.
UNUM NECESSARIUM.
Maria optimam partem elegit.

ALTONÆ *ad Albim.*

Ex Officina
CORNELII *van der* MEULEN.
ANNO CIƆ IƆC LXXIII.

1673

A. M. à SCHURMAN
ΕΥΚΛΗΡΙΑ
SEU
Melioris Partis
ELECTIO.

CAP. I.

Universalis ac genuina Status mei præsentis ac præteriti explicatio.

CUm jam omnibus ex publicis Scriptis quorundam celebrium Virorum, qui me nuper singulari sua benevolentia prosequebantur, plane constet, ipsis novam vitæ meæ rationem magnopere improbari; nec quemquam hac tempestate lateat, quam grave atque iniquum in optimam Dei caussam, cui ego me palam addixi, à quibusdam Ecclesiasticis factum sit præjudicium atque judicium: gaudeo hanc commodam mihi offerri occasionem, qua eximii veritatis Testes, nostræque Ecclesiæ fidelissimi Pastores, *D. de la Badie*, *D. Yvon*, & *D. Dulignon* suæ orthodoxiæ Declarationem, sive Defensionem luci

publicæ expoſuere, atque atris Calumniæ telis oppoſuere, ut ego quoque ſcopum meum, qui ab illorum propoſito non abludit, feliciter attingam. Videlicet ut eidem cœleſti veritati & pietati, pro quibus illi propugnant, cum paucis earundem amicis ac cultoribus, debitum aliquod & publicum præbeam teſtimonium. atque eâdem opera ſimul ac ſemel omnibus verum & æquum amantibus, inſignis hujus ſtatus mei mutationis rationes breviter ac candide explicem; quibus, ſi minus magnorum illorum virorum ſententiam immutem: ſaltem parvulorum in Chriſto infantium pectus contra omne præjudicium in poſterum muniam; Et ſi qua forte mendax ejusdem rei idea (qualem horum temporum malignitas figmentorum, ac monſtrorum feraciſſima, cuivis imprimere potuit) proborum virorum cerebro etiamnum inhæreat, eam genuina quadam veritatis imagine obducam, aut certe veram falſæ fideliter opponam.

I. Primo itaque loco hic mihi declarandum cenſeo, me non ſolum illa dogmata, quæ illi noſtræ Eccleſiæ Doctores hoc ſuo Scripto, aliisque, toto Orbi proponunt, pro orthodoxis agnoſcere: ſed & univerſam illorum Doctrinam, quam nobis qua publice, qua privatim quotidie impertiunt, per omnia divinæ Scripturæ conformem comperire. Deinde me tot divinæ Doctrinæ characteres, veluti magnum & puriſſimum lumen, mirabilem quandam facilitatem ac ſimplicitatem, &, ut ſic dicam, unguinoſam ſuavitatem ac dulcedinem, atque invictam denique efficacitatem, tam in toto veri-

ta-

tatum divinarum contextu, quam in ſingulis ejusdem Articulis, & modo eas proponendi percipere, ut non magis de illis, quam de ipſa luce meridiana, quando illa oculos noſtros circumfundit, atque illuſtrat, ſi vel maxime velim, dubitare poſſim. Neque ego tantum hæc juxta intimum animi mei ſenſum aſſerere debeo; ſed omnes præterea hujus ſacræ doctrinæ auditores, qui vel ſcintillam divinæ lucis, & amoris in pectore fovent, quaſi uno ore teſtabuntur, ſe non minus potenter quam ſuaviter pura ac ſimplici illius doctrinæ explicatione tangi, ejusque veritatis ac ſanctitatis igneam vim, inſtar prunæ ab altari, per Angelum volantem, in illorum corda delatæ, vividius ſentire, quam ſi externorum ſenſuum inſignibus objectis quibuscunque afficerentur. Nec mirum, cum unumquodque, quo magis ſpirituale eſt, eo magis reale ſit: eoque efficacius operetur. At vero, ſi quod prorſus ἀναπόδεικτον ſeu invictum Divinitatis atque efficacitatis hujus Miniſterii quæramus argumentum, non eſt ut multum nos morentur ſubitanei illi, aut etiam ignei motus, quales non raro cum fide temporaria, in quibusdam, ad auditum verbi naſci videre eſt (juxta doctrinam Salvatoris noſtri Matth. 13. ejusque Apoſtoli Heb. 6.) quæ tempore & rebus adverſis omnia ſimul evaneſcunt: Sed nobis hic quoque licet de certiſſimo & maxime proprio divinæ hujus doctrinæ effectu, qualem doctrinæ JEHOVÆ tribuit Pſalmiſta Regius, *quod reſtituat animas*, ſancte & veraciter in Domino gloriari. Cujus rei revera tot habemus inter nos ſpecimina & teſtes, quot membra noſtram Eccleſi-

am conſtituunt; de quibus omnibus & ſingulis haut vane dixerint noſtri Paſtores Apoſtoli verbis, *vos eſtis noſtra Epiſtola commendatoria, imo vos eſtis Epiſtola Chriſti, ſubminiſtrata à nobis, inſcriptaque non atramento, ſed Spiritu Dei vivi.* Eandem enim ipſis quoque competere ſanctam ac veram gloriationem extra controverſiam eſt; quandoquidem non alia quam Apoſtolica methodo, nempe non minus exemplo, quam verbo oves ſuas paſcant, & ipſi *converſi, fratres ſuos convertant*, ita ut eorum unuſquiſque non injuria uſurpare poſſit illam S. Pauli exhortationem, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*; quia ſeipſos per omnia exemplaria præbent ſuo gregi bonorum operum, in doctrina integritatem, in moribus gravitatem demonſtrantes. Quod in Miniſtro novi fœderis, oviumque Chriſti Paſtore ſumme requiri nemo non mecum fatebitur. Quamobrem ſemper mihi arriſit illud vetus ſancti Viri dictum, *cujus vita fulgur eſt, ejus verba ſunt tonitrua* atque ingenioſum illud Theologi Angli diſtichon:

Hos ego doctores ſoleo laudare docenda
Qui faciunt, plusquam qui facienda docent.

II. Noſtrorum autem Prædeceſſorum dona & virtutes Chriſtianas ut hic ex profeſſo deſcribam, non ferunt hæ paucæ pagellæ, quibus hoc Scriptum includere velim. Sed unum illud de ipſis non minus libere, quam vere affirmabo, me per omnem vitam inter mortales inveniſſe neminem, qui Spiritum ac modum vivendi primitivæ Eccleſiæ ſive primævorum Chriſtianorum vitam perinde genuine, & ad vivum, ac ipſi exprimeret. Et ſiquis integrum illorum

vitæ

vitæ curſum oculo puro ac ſimplici intueatur non ibit inficias vivum aliquod Chriſti Evangelium primæque Eccleſiæ Chriſti imaginem expreſſam ſuo animo & oculis obverſari. Eccleſiæ autem iſtius primitivæ vitam ac ſortem, poſtquam illuſtres & uberes Spiritus Chriſti primitias recenter acceperat, omnium fuiſſe optimam, ac feliciſſimam, id eſt maxime Chriſtianam, omnis qui revera & intime Chriſtum colit, eiq; in omnibus aſſimilari ſtudet, pleno cum aſſenſu fatebitur. Ego certe, cum in vita noſtrorum Paſtorum iſtius vitæ ſimplicis, liberæ, & Deo devotiſſimæ radios emicantes viderem, & aquas illas vivas, quas ſalituras uſque in vitam æternam dixerat noſter Salvator, in ipſis deprehenderem, non potui quin Chriſtum, meum Rupem, ubi divinæ ſuæ doctrinæ & gratiæ rivos fundebat, ac manifeſtabat, minime cunctando ſequerer: præſertim cum viderem, non amplius, ut olim in figura, ejuſmodi limpidas aquas nos ubique, in hoc Chriſtianiſmi deſerto ſequi. Cujus facti me minime pœnitet, cum veram ſortem Chriſtianorum, ut ut à cæteris negligatur, pro omnium feliciſſima habeam, & per Dei gratiam, habitura ſim in æternum.

III. Cum jam aliquot retro annis mœſtis oculis adſpexerim Chriſtianismi, à ſua origine deflexionem, ac defectionem pene totalem, (cujus rei inter alia teſtis eſt mea, jam ante quinquennium ad Eccleſiaſtem Juliacenſem conſcripta, & ab Auctore egregii libelli *de propaganda fide* partim edita Epiſtola.) & cum jamdudum deſtituamur omni ſpe ejus futuræ Reſtitutionis,

per viam illam communem, qua passim incedunt Ecclesiastici nostri ævi (quorum plerique ipsi vel maxime indigent Reformatione); quis mihi jure vitio vertat, me Pastores Reformatos, & ad reformandos deformatos Christianos, divinitus instructos, pro meis elegisse, & læto recepisse animo? Cumque adoranda atque admiranda Dei Providentia ac Benignitas mihi viam rectam & expeditam ad primævæ vitæ Evangelicæ veram praxin ostenderet per singularem in viis Domini exercitatum, ac fidum Dei Servum *D. Joannem de la Badie*, ejusdemque gratiæ consortes, qui pariter iisdem Christi vestigiis, tam in docendo, quam in agendo, ac patiendo insistunt, quomodo quis mihi jure probro vertat, quod ego illos tanquam optimos doctores, & duces sequar? quodve plurium insuper fidelium suffulta comitatu, omnes simul unanimiter atque alacriter, intuentes in fidei Ducem & consummatorem Jesum, ad Cœlestem patriam contendamus, collimantes ad eundem atque unicum omnium Finem, Glorificationem scilicet nostri Dei, & Regis gloriæ Jesu Christi?

IV. Attamen quia non desunt docti atque illustres Viri, qui pristinum vitæ meæ statum adeo excellentem, atque amabilem fuisse autumant, ut illum cum alio commutare, nisi forte cum omnium meorum amicorum consensu, aut etiam totius Literarii Orbis (utpote cui aliquam Nominis mei claritatem debebam) applausu, mihi non fuerit integrum: rationes uti dixi, quibus contrarium probare facillimum est, mihi hic adducendas, suis locis, arbitror. Et illam

Iam quidem in primis, in negotio Religionis, ubi de jure, ac gloria Majestatis Divinæ, nec non de Christi cultu ac sequela agitur, non esse conferendum cum carne & sanguine, ut suo Exemplo nos docuit Apostolus Paulus: siquidem ratio, ac sapientia humana, sive carnis, non sapit nec capit ea quæ sunt Regni Dei; pessimusque in eo promovendo consiliarius sit amor nostri ipsius; qui sibi tot fabricat idola, quotquot sunt creaturæ, quibus ad imaginarium suum bonum, honorem, commodum, aut oblectamentum abuti potest: sed audiendam nobis esse solam Dei & Christi vocem, quæ nos erudiet, Quod *omnes Gentes velut nihil sint coram eo, ac minus nihilo & inanitate reputentur ei.* Quod illi probentur Deo qui cum Levi *dicunt de patre suo, & de matre sua, non respicio eos; qui fratres suos non agnoscunt, & filios suos non recognoscunt: quia observant sermonem Dei, & fœdus ejus custodiunt.* Quæ aliis verbis de suis discipulis exigit noster Salvator Luc. 14. 26. *Siquis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres & sorores, atque adeo etiam animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et brevius, siquis vult me sequi, abjicet seipsum & attollat crucem, ac sequatur me. Luc. 9. 23.

V. Quod autem ad famæ meæ gloriolam attinet, quam mihi conciliavit Eruditorum orbis, fateor me illi, vel eo nomine, debere quam plurimum tum quod, juxta illius censum, magnum mihi paraverit thesaurum: tum quod mihi excercendæ Virtutis sat amplam exhibuerit materiem; quo nimirum speciosam hanc ampul-

dullam abnegare, ac diſſipare, aut inter alia, mihi antehac nimis cara, vendere potuerim, ad pretioſiſſimam Evangelii margaritam arctius & purius poſſidendam; tum etiam illam cum Chriſti opprobrio quod magnus ille Dei Servus Moſes omnibus Ægyptiacis divitiis prætulit, feliciter commutandam: Sed & abunde ſibi gratiam relatam exiſtimet, ſi illam veritatem, quam ex ipſa experientia didici, ipſi quoque hic notam faciam, quod ſcilicet *ſiquis vel minimam particulam Gloriæ, utpote quæ ſoli Deo debetur, per amorem proprium ad ſe rapiat; illum, qui ſeipſum non fruſtra Deum zelotem noncupat, hanc rapinam ſummo & forte æterno opprobrio eſſe vindicaturam*, niſi per veram pœnitentiam illud antevertant.

VI. Priusquam vero ad magis particularia accedam, illud mihi tanquam univerſale quid, quod ſe per omnes pene vitæ meæ actus diffudit, ad vanitatem ejus arguendam occurrit, detegendum puto: quod ſcilicet, quamvis ſæpius reclamaret conſcientiæ occultus quidam fundus, tamen ſub ſpecie alicujus virtutis, aut officii, & communis cujusdam Eruditionis boni, me ad illud illuſtrioris famæ Theatrũ, unde deinde difficilis erat regreſſus, pedetentim introduci paſſa ſim; &, neſcio per quam incuriam, vel occœcationem mentis argumentum vel anſam præbuerim literariæ Idololatriæ; cujus ſe reos conſtituunt omnes vanæ gloriæ cultores, ſive (ut quidam non inique dixit) *mendaces Panegyrici*, qui mutuis ſeſe laudibus incantantes, in mera animalia gloriæ ſe transformant; cui latiſſimæ culpæ me eatenus, à quibusdam immodica-

dicarum laudum mearum Decantatoribus, involutam fuisse deprehendo, quod, dum me homuncionem mortalem, vermiculam terræ, & propter meam in Cœlum multiplicem culpam, tum hereditariam, tum activam infidelitatem æternis tenebrarum catenis, ac carcere dignam, in cœlum usque eveherent, meq; non tantum Ethnicorum Numinum ordini prophane adscriberent: sed & veri Dei divinis Attributis Omniscientiæ, & nescio quibus non odiosis titulis, blaspheme onerarent; ego, me nusquam satis fortiter eorum dementiæ, an impietati, publica quadam Protestatione, sive Apologia opposuerim; quod igitur nunc mihi sero, sed & serio, cum quadam neglecti officii detestatione hic agendum esse duxi. Eoque omnia mea Scripta, quæ ejusmodi turpem animi mei laxitatem, vel mundanum & vanum istum genium redolent, hoc loco, coram Sole (ad exemplum candidissimi Patrum Augustini,) retracto; nec amplius pro meis agnosco: simulque omnia aliorum scripta, & potissimum Carmina Panegyrica, quæ vanæ gloriæ, atque isto impietatis charactere notata sunt, tanquam à mea conditione, ac professione aliena, procul à me removeo, ac rejicio. Eorumque Auctores; siqui etiamnum in vivis sint, rogatos velim, ut hæc talia in ipsius Sanctuarii trutina ponderare velint, ac deinde dijudicare, annon Supremo rerum Arbitro de ejusmodi verbis, non solum otiosis, sed & pravis, atque exemplo noxiis, aliquando, nisi & illi ista mecum condemnent, vel etiam recantent, aut corrigant, reddenda fuerit ratio?

Ob-

VII Objiciet hic fortassis aliquis, istum fuisse abusum, non usum Eruditionis, & nominis claritatis, qui, ut in cœteris rebus, etiam optimis, tollendus est, *sed retinendam esse rerum substantiam.* Ad quæ ut plene & accurate respondeam, frustra ab animo meo impetrare coner, cum verbulo tantum limitari debeat hoc axioma, illud scilicet tantummodo obtinere in rebus revera bonis ac necessarii usus & in iis, quæ Deum purè ac reapse concernunt, non vero nos extra ipsum. Mihi autem ne commemorando quidem libet in illud vanitatis scientiarum examen, seu labyrinthum retrogredi, quem satis ingeniose & diffuse publicis scriptis depinxerunt jamdudum docti ac cordati viri; sed omnium optime sacer Ecclesiastes, sapientissimo hoc suo dicto, *Faciendi libros multos non est finis, & lectio multorum fatigatio est carni. Summa rei est, Deum ipsum reverere, & præcepta ejus observa, quia hoc est totum hominis.* Ideo ne temporis alieni, ac mei, cujus justissima in fundo parcimonia est, sim prodiga, nec vana rerum præteritarum imagine nimis mentem meam, cum præsentium jactura distraham, eiq; simplicitati, quam mihi custodiendam ad meliora recipienda existimo, officiat, sufficit mihi hic paucis indicare, quod etiam aliis omnibus sciendi desiderio captis, ob communem humanarum mentium caliginem, & à recto & bono aberrationem, accidere necesse est, me non fuisse adeo vel cautam, vel felicem, ut in curriculo meorum studiorum abusum ab usu semper & ubique separaverim, & peræquam in omnibus servaverim proportionem: ita ut rebus optimis & maxime necessariis primas

atque

atq; optimas horas conſtanter detulerim : verum è diverſo, monſtri quid ſimile, ut puto, foret, ſi omnes vitæ meæ articulos una cum ſuis ſtudiis, quibus occupati fuerunt, ſedulo obſervarem, & ad integram corporis cujusdam figuram redigere m, omnibus exponendam: ſed monſtrorum in Orbe plus ſatis eſt.

Cap. II.

Vitæ meæ anteactæ à teneris abhinc annis, quibus me Pietati *applicui, &* Linguis, Artibus *&* Scientiarum *primordiis excolendis incubui, levis ac particularis expoſitio.*

Redeo itaque ad ſtatus mei præſentis cum præterito collationem, adeoque brevem aliquam vitæ meæ delineationem, quatenus illa huic inſtituto meo inſervire debet. Equidem non inficiabor me vel à teneris in imo pectore ſenſiſſe quoſdam genuinos pietatis igniculos; quos deinde in toto vitæ ſuæ curſu per intervalla ſcintillaſſe, & in flammulas quaſdam erupiſſe obſervatu non fuit difficile. Succurrit enim inter alia, quod cum vix eſſem quatuor annorum puellula, occaſione collectionis quarundam herbarum una cum mea famula, cui id operis demandatum erat, in litore cujuſdam rivuli conſiderem, atque ea monente, primæ Quæſtionis Catechiſmi Heidelbergenſis Reſponſionem memoriter recitarem, ad illa verba, *quod non mea, ſed fideliſſimi mei Servatoris Jeſu Chriſti*

Christi essem propria, pectus meum tam magno & dulci gaudio, atque intimo amoris Christi sensu fuisse perfusum, ut omnes subsequentes anni istius momenti vivam memoriam delere potuerint nunquam. Et, ut unum hoc præterea speciminis instar hic addam, circa undecimum meæ ætatis annum accidisse memini, cum primum in lectionem historiæ Martyrum inciderem, ad conspectum exempli tot fidelium Christi servorum, ejusque veritatis Testium, tam ardens animum meum invasisse martyrii desiderium, ut cum tali gloriosa morte, dulcissimam etiam vitam commutare vehementer exoptarim. Nec quicquam mihi deinde, per omnem vitam, Erasmiano illo genio, quem ille suis ad *Ekium* Scriptis prodidit, dum se neque ad martyrii gloriam (suæ nimirum ambitionis sphæram transcendentem) aspirare, neque illam alio cuiquam invidere profitebatur, intolerabilius, & Christiano nomine indignius visum sit. Præterea in toto vitæ meæ cursu, ad veram pietatis praxin, juxta notitiam mihi tunc acquisitam, sincere & absque fuco anhelavi: sed quam tenuis & manca utraque fuerit, postea accuratius indicabo. Hic saltem obiter id mihi notandum, quod, tametsi ego supra vulgus, & communem morem & modum Juventutis, mei ordinis ac conditionis, pietati (veluti virtuti principi) primas semper detulerim: tamen illam à nemine fere fuisse arreptam tanquam primarium laudum mearum argumentum; vel quia non satis nota, adeoque non satis adamata aliis erat illa suprema virtus: vel quod ego illam non satis pure & solide in mea vita representa-

bam

bam; vel quod nihil nisi quod in nostro sexu rarum, atque eo nomine carum esset, sua observatione, ac celebratione judicarent dignum. Itaque ad ea studia, quæ me omnium pene judicio reddidere celebrem & felicem, revertar; nec quicquam eorum æstimationi, præter rei veritatem recensendo, detraham; nec huic meæ causæ prævaricabor.

II. Ad primum igitur vitæ meæ actum paululum mihi retrogrediendum est, atque hac occasione illud, cum filiali quadam gratitudine Parentibus meis fidele reddam testimonium, quod liberos suos non solum humanioribus literis, sed & pietate, quatenus illa ipsis erat cognita, imbuere conati sint. idque adeo serio ac sedulo, ut cum degeremus ruri, à prima ætate nos erudiri à Præceptore egregio, atque domestico curarint; cum tali etiam successu, ut ego tres tantum annos nata infans, (quod mihi deinde ab aliis relatum est) accurate legere Germanice, atque etiam partem Catecheseos memoriter recitare potuerim. unde aliquam etiam à mea parte, seu potius ab ipso Naturæ Authore Deo, fuisse docilitatem agnosco. Et ne quis putet me proprio motu, vel arbitrio ad nimis alta, aut extraordinaria aspirasse, ea quæ studiorum meorum exordium fecere, hic notanda, cum admodum levis ejus fuerit occasio. Cum nimirum circa undecimum meæ ætatis annum, (à partu Virginis 1618.) accideret, ut Fratres mei, (quorum unus fere biennio, alter quadriennio me ætate superabat) Latino, ego vero Gallico sermone, dictitante Patre meo exercremur, nescio quo casu, aut verius divina

Pro-

Providentia contigerit, ut ego quædam eorum quæ illi neglexerant, ipsis aliquoties suggererem, unde ansam dabam Parenti conjiciendi, me non infeliciter iisdem literis, eademque opera instrui posse: & quando me simul ad idem sentiendum fortiter excitaret, meque illius desiderio, (certe non alio nisi ipsi placendi atque obediendi studio) alacriter obsecundantem videret, me ab illo tempore literarum studiis initiavit.

III. Ne vero in ipso introitu me deterrerent spinosæ minutiæ Grammaticæ, eam adhibuit prudentiam, quod illarum loco Senecam Philosophum (quo autore mirum in modum delectabatur) mihi legendum atque explicandum proposuerit, asserens, *aquilam non captare muscas.* Nec nisi per lusum postea, maxime necessaria rudimenta deambulando in horto & alibi me docuit; ita ut tædium amaritudinis radicum studiorum facile devoraverim. Interim ne Scriptoris Ethnici dulcedo Christianæ pietati, (cui omnis sapientia carnis contraria est) officeret, Sacrarum literarum lectionem, veluti temperamentum aliquod, cum illius lectione combinavit.

IV In primis autem illud mihi pro insigni Dei beneficio agnoscendum est, quod Parentes mei omnis decori ac honestatis studiosissimi illorum Auctorum atque omnium earum rerum, quæ à castitate, atque virginea puritate mentem avertere potuissent, mihi horrorem ingentem à puerili ætate incusserint, atque [illegible] à lectione omnium istius notæ librorum, ac Poëtarum in primis, tum Latinorum tum Græcorum

rum, tanquam à pestilenti quadam potione, constanter per omnem vitam abstinuerim, & vix alium quenquam, præter *Homerum* ac *Virgilium*, quos mihi commendaverat Pater, veluti omnium Poëtarum facile Principes, serio & sedulo perlegerim: hodiernos vero, non nisi magno cum delectu mihi comparaverim; & si qui mihi mundani aut mixti argumenti Scripta ab Auctoribus eorum etiam celeberrimis (quorum nominibus honoris causa hic parco) offerebantur, eos vel non legi, vel saltuatim tantum, atque extremis labiis delibavi. quandoquidem paucos hodie invenias, quibus debeatur illa laus, quam non immerito aliquis tribuit Poëtæ Gallico *Bartassio*, quod ne uno quidem lascivienti versiculo, tanquam folio putrido, lauream suam coronam conspurcarit.

V. Accessit & illud singularis meæ educationis bonum, quod me non nisi septennem, binos menses ad scholam Gallicam miserint Parentes, ita ut parum corruptelæ ex lusibus puerilibus, & contagione pravorum verborum, quæ facile imprimuntur tenellæ memoriæ, & quasi rasæ tabulæ, contraxerim. Magis illis placuit, ut domi à Præceptoribus Arithmeticæ ac scribendi artem, nec non Musicam tam instrumentalem quam vocalem, una cum fratribus meis addiscerem; atque præterea vario artium genere (quo sponte ibat meum ingenium) otium meum fallerem, & magis seria studia, quasi isto condimento suaviori temperarem. Quod institutum non videbatur adeo culpandum, quia me etiam postea à vanis consortiis, & mundanarum puellarum oblectamentis, & ornamen-

tis conficiendis detinebat. nisi jam ætate provectior, & ad meliora apta nata, nimium illi naturæ instinctui indulsissem, & magno molimine magnas istas nugas egissem. Nam revera vix est ut quisquam, dum sibi aliisque mundanis placere studet, ulla re recte aut modice utatur; sed quo quid nobilius & rarius donum est, eo magis ejus abusus facilis & noxius est.

VI. Non diffitebor inter Dei dona esse recensenda artificiale ingenium, atque ipsas artes, quæ ipso Spiritui Dei tanquam earundem Auctori tribuuntur Ex. 31. &c. ubi *Bezaleël & Aholiab* apti ac periti dicuntur operandi opus quodlibet. Sed illius usus tunc temporis inserviebat cultui externo, & infantili Judæorum, unde pretium mutuabatur. Ego vero sæpe interea dubitavi, quo loco mihi habendum esset meum artium studium, & ad insignem varietatem propendens ingenium, quod sese vel à teneris in multis exseruit, ita ut cum essem vix 6. annorum puellula, absque ullo exemplo, ductus & figuras, ex obviis chartulis, adeo affabre forficulâ exscinderem, ut nemo fere adultarum etiam amicarum inveniretur, qui simile quid cum successu tentaret. Deinde quadriennio post tribus horis artem Phrygiam, nemine non mirante, addidici; posteaquam scilicet flosculis, plumbo Hispanico delineandis paucas septimanas impendissem. ut nihil hic addam de iis artibus nobilioribus, quas post obitum Patris, sine ullo magistro, in secessu in varia materia exercui; quæ omnia ne attingere quidem ausim, ne sc. omnes modestiæ leges transilire viderer, nisi nunc plus vanitatis, quam veræ laudis argumen-

menti in iſtis fuiſſe arbitrarer. ob naturalia enim, ſi Philoſopho credimus, nemo meretur laudem; virtutum autem laudem iſtis tribuere ſolet nemo.

VII. Fateor quidem me aliquoties, cum floſculos atque inſecta quædam colore aqueo depingerem, (quod picturæ genus videtur cæteris ſimplicius ſeu innocentius) non minus animum cœleſtibus cogitationibus, quam manum terreſtri exercitio occupaſſe; ſed & idem aliquoties ita totum meum cerebrum, atque cor ipſum replebat, novis inventis, ut Deum non facile & fixe vel in ſeipſo, vel in creaturis contemplari ac guſtare poſſem: quod mihi vanitatem iſtius artis haut obſcure commonſtrare poterat. Quando vero nunc juvet, ut mea crepundia aliquid valuiſſe Mundo perſuadeam; nec non aliquid me pro Dei cauſa dereliquiſſe ipſi videar, aut quicquam priſcæ meæ felicitatis ſilentio tegam, unum aut alterum meæ tantopere deprædicatæ artis exemplum hic in medium afferam; & quidem primo trium imaginum, quas ex ligno buxino, cultro communi (nec enim alius inſtrumenti, aut magiſtri aderat auxilium aut conſilium) exſculpſeram; unam meæ chariſſimæ Matris, alteram mei ipſius, & tertiam Fratris mei unici, quarum poſtremam cum ipſe Frater meus oſtenderet celeberrimo Pictori *Honthorſtio*, illius pretium mille florenis æquari non poſſe ſerio affirmavit. Alterum, quod mihi hic referre licet, eſt (aut potius fuit) imago cerea mei ipſius, quam ſpeculo me repreſentante, ad vivum expreſſeram, cui non quidem triginta annos, quot olim *Albertus Ma-*

gnus ſuæ ſtatuæ loquenti impenderat, ſed ad minimum triginta dies inſumſeram. cum mihi multa eſſent in illa arte invenienda, quæ à nullo diſcere poteram. Oculi vero meos non ſolum in minori forma imitabantur, ſed ob vividum pupillæ nitorem, ac rotunditatem, cum celeriter capſa ejus vertebatur, ipſi ſoli ſe vertere videbantur. Crines cerei non niſi ſuis extremitatibus ſubtiliſſimis capiti inhærebant, ita ut illud corollis libere (ut videbatur) volaturis exornarent. Et quod omnium erat difficillimum, palpebras pilorum tenuiſſimorum, quaſi erecto vallo, cum pertinaci labore muniveram; atque (ut hoc unum tantum de vano ejus ornatu addam) gemmulæ quæ collum cingebant, ita artificioſe (novo ſc. meo invento) naturam mentiebantur, ut mihi contrarium verum aſſerenti, vix adhiberetur fides. nec alia ratione artem à natura diſcernendam exhibui (cum id à me peteret ingenioſa Naſſoviæ Comitiſſa) quam unam earum acicula tranſfigendo.

VIII. Sed quid quæſo exinde tandem fructus? niſi quod temporis illius pretioſiſſimi jacturâ, pœnitentiam, quæ ex ejus caſu ac deſtructione mox ſubſequebatur, improvida coemerim: mox enim una ex meis Materteris, dum illam curioſis oculis luſtrabat, è manu ſua negligenti eam excidere paſſa eſt: ego vero quæ margini ejus inſcripſeram hos verſiculos,

Non mihi propoſitum eſt humanam illudere ſortem,
Aut vultus ſolido ſculpere in ære meos:
En noſtram effigiem, quã cerâ expreſſimus! Atqui
Materiæ fragili mox peritura damus.

mihi

mihi hanc vitæ meæ imaginem, (ut ipſam fere vitam ſolemus) non ut mox perituram, aut fractam: ſed *fragilem*; (id eſt permanentem fragilem, eoque permanentem tamen) repræſentaveram: ideoque ejus fractione, tanquam graviuſculo atque improviſo aliquo caſu, non nihil conturbata fui; quod me ridicule adhæſiſſe quodammodo rei nihili demonſtrat, quæ non niſi umbra quædam erat mei, quæ ipſa nihil niſi ſomnium umbræ ſum, ut eleganter hominem deſcripſit Poeta: σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος; In quo non abludit à mente verborum Pſalmiſtæ, quibus mortalium vitam obumbrat, *Somno* & *cogitationi*, vel, ut alii vertunt, Sermoni illam accomparans. Et quis credat homines, qui putant ſe ſupra ſphæram Lunæ poſitos, & mutabilia, ſub pedibus relicta, ſuperne poſſe deſpicere, ſæpe tamen ita profunde in lutum recidere, ut ejusmodi rerum inaniis detineantur, aut turbentur. Quam mentium humanarum dementiam, uti in vita philoſophica ridere licet, quod cogitationes ſuas & dicta præclara de rerum externarum contemtu, in quibus Senecæ paradoxa mihi olim præ ceteris placuere, pro ipſo ſtatu, & conſtitutione animi ſui arripiant: ita paſſim in vita ſpirituali ac religioſa prætenſi Chriſtianiſmi, rideas, an deplores? quod quæ præclare cogitata, aut ore profeſſa in mente & ſermone circumferunt, maxime verò de abnegatione rerum externarum, ac de praxi fidei, ſpei, ac caritatis, tanquam reales veritates & virtutes, quas eo ſe poſſidere ſomniant, amplectantur, atque in illa imaginaria felicitate acquieſcant. unde multi

ut quondam philoſophi, de quibus loquitur Apoſtolus Rom. 2:21. quod in ſuis ratiocinationibus evanuerunt, atque, dum ſe ſapientes eſſe dictitarunt, ſtulti facti ſunt.

IX. Cætera hujus generis tranſeo; quia talium amorem ſimul ac memoriam deponere incepi, ut mihi in mentem venit Divina vitæ Chriſti imago, quam uti imitatione unicè dignam cenſebam, nec tamen ſatis claram ac conſtantem ejus Ideam in anima mea conſervare poſſem, ejus delineationem quandam accuratiſſimam Scripto complecti ad meum aliorumque bonum meditabar. Placuerat mihi inſignis libellus Thomæ à Kempis, *De Imitatione Chriſti*: ſed in eo deſiderabam majorem hujus Tituli cum ipſo Tractatu convenientiam, quam aliqua ratione me aſſecuturam ſperabam; ſed, ut verum fatear, nunquam mihi eo opere ſatisfacere potui, tum quod ad Divini hujus argumenti ſplendorem ſæpe mens & oculi caligabant: tum quod carbone tantum me Solem depingere videbam. Vitæ Chriſti vitam Chriſtianorum ſolam præſtantiſſimam imaginem eſſe comperi, ſed non facile hoc tempore obviam. Hujus autem ductus vividiſſimos cum poſtea in noſtris Paſtoribus viderem, viva illorum exempla mihi cum omnium artificiorum machinis commutanda eſſe credidi. Quod ſerium meum propoſitum quia paucis, & convenienter iis quæ dicta ſunt, in quadam Epiſtola ad illuſtrem quendam ſcientiarum atque artium Fautorem (qui meum de egregiis quibuſdam picturis requirebat judicium) antequam Ultrajecto valedicerem, expreſſi, hæc verba inde excerpta huc tranſcribam

bam: *Aliud picturæ genus obversatur animo meo, quo cœlestem imaginem divinarum virtutum summi ac pulcherrimi nostri Regis ac Salvatoris JESU, si minus calamo in charta (quod aliquamdiu frustra tentavi) certe in anima mea aliqua ratione depingere, atque imitari possim. Video magis ac magis hanc artem esse longam, vitam brevem, atque occasionem difficilem: nec tamen cuiquam, nisi aliquo divini hujus χαρακτῆρος fulgeat radiolo, ad cœlestem curiam patere aditum; in hac vero tabella si quis feliciter vel tenuissimas ducere didicerit lineolas, is omnes facile Protagoras juxta atque Apelles, infinitis parasangis post se relinquet. Ego vero in hoc studio vitam finire desiderans, hoc voto hanc finio, ut Deus Opt. Max. unicus hujus artis Doctor, hanc Te, me, omnesque Suos doceat, ad sui Gloriam, & Ecclesiæ veræ Reformationem. Ultrajecti Idib. Septembr.* cIↃ IↃC LXIX. Parvi profecto faceremus omnes picturas artefactas, si in omnibus creaturis, quibus earum Creator aliquam sui imaginem impressit, juxta versiculum ab omnibus receptum,

Præsentemque docet qualibet herba Deum,

ipsum spirituali oculo videremus, & sensu ac gustu divino palparemus, ac degustaremus. Si nimirum creata omnia, tanquam vela quædam, aliis quasi opaca, sub quibus divina bonitas, sapientia, potentia, pulchritudo, ac majestas obvelatur, sublevare, aut acie spiritus penetrare assuevissemus, omniaque (quod rationalium creaturarum est officium) per rectum usum ad Deum eorum Originem, & Originale nobiscum elevaremus, ejusque immensa pulchritudine absorberemur: sed deficiente illa praxi, saltem

rerum superficiem spectemus, cur non potius miramur Dei, quam hominum opera, & maxime vita donata? quæ ingenti distantia omnis picturæ excellentiam post se relinquunt, utpote quæ istorum neque vitam, neque motum, neque ipsam rerum superficiem imitari potest? Et licet olim hanc artem eo perfectionis pervenisse testetur Antiquitas, ut hominibus juxta ac bestiis illuserit, sesequе pro ipsa natura aspiciendam (si vera fides) præstiterit; tamen hodie, si fructum, aut animal quam præstantissime pictum cum vivente conferas, ac prope illi admoveas, mox aperta fraus dispalescet, & te pudebit nimis ridiculæ & iniquæ comparationis. Sed ita est ingenium hominum: ut, quasi Deus non sat creaturarum, aut non omnia in suo tempore pulchra fecisset, hieme prata viridia, floresque, quæ æstate in rerum natura sæpe negligimus, in picturis, ut nostris operibus, affectamus, & ferè magis miramur, ac laudamus nostra phantasmata, quam Dei opera realia, pulcherrima, utilia, numero innumera, & nulla arte imitanda, aut ullius linguæ deprædicatione satis celebranda. Sed dum pictas imagines vanitati proximas esse assero, æquum est ut imaginum imagine relicta ad solidiora progrediar.

X. Dixeram antea me facile per hæc studiorum atque artium oblectamenta, à puerorum lusibus, aliisque otii fallaciis abductam atq; abalienatam fuisse: sed nunc etiam addo, me adversus otiosa ac mundana consortia, ubi me subsequens ætas exspectabat, quodammodo fuisse præmunitam, tum Patris mei (cui addi debet optimæ Matris cura) accurata in Pietatis officiis institutione, tum frequentibus ejus monitis, quibus me à sæcu-

li

li contagio, & mundanorum hominum consortio deterrebat. Etenim ne me incaute in hujusce Mundi laqueis implicarem, præcipue me, ut ab inextricabili conjugii mundani (ut vulgo fit) corruptissimo vinculo caverem, sedulo atque ardentissime circa ejus mortem, hortatus est. Cujus consilii Paterni postea non immemor fui, cum Mundus ea ratione me sibi devincire variis modis tentavit ac quæsivit.

XI. Sed utinam à vana hominum gloria, æque fideliter, ac à mundanorum peculiari consortio cavissem. Plura obstitere, quæ hic recensere longum, ac supervacaneum sit; atque ideò tantum quomodo in hujus Mundi Theatrum protracta sum, paucis annotabo. Illud autem accidit potissimum eo tempore, quo ad inaugurationem Academiæ Ultrajectinæ meis versiculis celebrandam, à quibusdam Eruditionis cultoribus, atque inprimis à *D. Gysberto Voetio*, primo ejus Theologiæ Professore incitata sum. Postea enim si unquam vanitati scientiarum, quas veluti insignes Reginæ Theologiæ Ministras, reverenter esse habendas putabam, non invita inservivi; imo exortam inde famæ meæ gloriolam, tanquam aliquod commune Reipub. Literariæ bonum, serio mihi esse custodiendam, &, quantum per modestiam liceret, ampliandam mei credidi esse officii: ut nimirum inter alia majora lumina, ego quoque, instar sextæ magnitudinis stellulæ, aliquid claritatis ad illam vastæ Eruditionis sive Encyclopædiæ sphæram conferrem. Fateor autem ante hæc tempora me hisce cogitationibus abripi non passam fuisse. Quamvis enim Celebris Theologiæ Doctor & Professor *Andreas Rivetus*, inter alios, quos-

quosdam illuſtres Amicos aliquam nomini meo claritatem ſtudioſiſſime paraſſet: tamen per innatam mihi quandam modeſtiam, & ſincerum latendi ſtudium, nominis celebritatem, velut magnum onus, declinare conata eram: Nec infeliciter proceſſiſſent latebræ ac ſeceſſus, niſi poſtea non tam aura popularis, quam inſignis quorundam in ſeculo illuſtrium virorum benevolentia me à propoſito meo detraxiſſet; quod quantopere humilitati Chriſtianæ,atque abnegationi omnium creaturarum fuerit adverſum, deinde ſero nimis cognovi. Fruſtra autem poſtea longe lateque graſſanti famæ, quæ jam vires acquiſiverat eundo, moderationem adhibere ſtuduiſſem, niſi (quod hic notare juvat) hoc magis ſedulo curaſſet mundanorum Theologorum odium; inde natum, quod illorum conſortia, ac conciones, quibus illi fortaſſe componendis non nihil olei & operæ (quod dicitur) impenderant, conſtanter defugiebam: non ſolum quod ne γρῦ quidem ſolidæ eruditionis, aut genuinæ eloquentiæ haberent: ſed vel maxime quod ne guttulam quidem illius olei, quod Spiritus Chriſti in pectora ſuorum infundit, quo omne tædium pii auditoris præveniri ſolet, ſaperent aut redolerent. Illud inquam in cauſa fuit cur illi, jure quodam Talionis, me meaque ſtudia contemnenda, atque apud notos ſuos ſuſurrationibus ſibi denigranda eſſe putarint; quibus cum invidia, aut neſcio quid faciles præberet aures, apud quamplurimos etiam finem ſuum aſſecuti ſunt, eoque me à nimio famæ meæ onere aliqua ex partè ſublevarunt, & à multis importunis vicinorum præſertim viſitatio-

tationibus liberarunt. Mihi autem exoptandum fuiſſet, ut cæterorum hominum mundanorum, & maxime illuſtrium, mundanam benevolentiam pari facilitate, qua horumce Eccleſiaſticorum malevolentiam ſpernere valuiſſem; quos ego non ut Chriſti miniſtros, ſed ut illius gratiæ ac gloriæ proditores intuebar, dum mundo palam velificabantur Nec ullum fructum ex illorum concionibus expectabam: Sed ipſis primario loqui viſus mihi eſt JEHOVA. Pſ 50. 16. *Quid tua, ut enarres ſtatuta mea, & aſſumas fœdus meum in ore tuo: cum tu oderis diſciplinam, & projeceris verba mea poſt te?* nunquam enim me morabatur externa illa hominum vocatio; cum illos à Deo non eſſe interne vocatos ipſorum opera teſtarentur, in qua ſententia uſu confirmata ſum: nec quisquam mihi facile perſuadere potuit, uti quidem revera erat falſiſſimum, verba ſcilicet vitæ, quæ in ore concionatoris mortui moriuntur (quod magis eleganter quam vere dixit aliquis) vitam conferre auditoribus mortuis; cum ille verba quidem, non autem mentem ac vitam, ſive Spiritum Scripturæ capere, aut proferre poſſit: hi vero aures non habeant ad ipſa ſpiritualia ſpirituali modo audienda, vel intime percipienda. Quomodo autem cuiquam veriſimile fiat Spiritum Sanctum ſe mortuo, ut ſuæ gratiæ organo, jungere, ad vivificationem animarum? Certe non magis, imo minus quam cantui Galli, quem memoriale aliquod ſuorum verborum eſſe voluit Servator noſter, ad Petrum, modo converſum, à ſingulari peccato revocandum: cum in tali concionatore peccatum regnans obſtet, non autem in Gallo aut in aſina

Bile-

Bileami, quæ ſuum Dominum de peccato ſuo arguebat. quæ enim communio lucis cum tenebris? & Chriſti cum Belial? Si verò hic mihi aliquis objiciat exemplum ipſius Bileami, qui diviniſſima verba in raptu ſuo protulit: reſpondebo illius verba non fuiſſe ad converſionem, ſed ad convictionem, & gravius judicium Baalaci prolata. & in Scriptura quaſi diviniſata legi. Dicam præterea tales prophetas forte, non veluti phœnices quingentis, ſed vix quinque millenis annis naſci. Cætera vas impurum non emittit liquorem purum: ac verba & ſenſa puriſſima, ſi per impura irregenitorum guttura (*quæ apertis ſepulchris* accomparat S. Scriptura) transfluerent, pro aquis vivis ac merè fontaneis non eſſent tuto haurienda. *Habemus*, inquit Apoſtolus, *theſaurum hunc in teſtaceis vaſculis*, ſed Sanguine Chriſti, & aqua Spiritus S. perpurgatis. Vaſa enim teſtacea immunda, & leprâ fœdata, ne in domo quidem Iſraelitarum ferri, ſed frangi debebant: tantum abeſt ut in cultu Dei, ejusque Templo commoda eſſent vel ſanguinis, vel aquæ, vel olei receptacula. Illa autem fuiſſe typica, ſeu præfigurantia ſtatum Eccleſiæ novi teſtamenti, nemo in dubium vocat. Me verò ejusmodi Chriſtianæ profeſſionis, ac Sacri Miniſterii imprimis maculas peſte deterius odiſſe & refugiſſe ſemper, ex quo aliquod ſpirituale judicium formare cœpi, omnibus qui me norunt optime notum eſt: atque è contrario me magno ac duplici honore & amore dignos reputaſſe ſemper, atque etiamnum reputare eos Eccleſiæ Doctores, qui ſe fideles Chriſti Servos & Aſſeclas, non tantum verbis & af-

affectu, sed ipso opere & effectu probarunt ac probant. Sed ista in transitu dicta sunto. Revertor ad statum meum istius temporis.

XII. Duo aut tria tantum præterea, quæ meam pristinam à recto aberrationem, & servitum mundanum indicant, quibus tamen aliis non paucis videbar sapiens, & felix, huic luci exponam. Primo quod ipsa famâ me antecedente ac præeunte (videbar enim hoc ipsi debere, ut illam benigne de me loquentem à mendacii infamia præservarem) ad nimis multa ac varia, addo & vana mentem & studia mea applicui. Secundo quod neque ratione temporis, neque ratione ipsarum scientiarum justam servaverim proportionem; nec semper primas dederim iis, quæ maxime Deum glorificare, proximum ædificare, animamque meam Deo gratiorem efficere potuissent. Tertio quod, humano ut plurimum obsecuta instinctui, qui ad humana potius, quam ad pure divina me trahebat, nimio cum affectu variis scientiis & artibus adhæserim; atque oblectationem & requiem aliquam in iis, si non inveni, saltem quæsivi. Quæ omnia vitæ meæ cursum intuenti facile sese prodent.

XIII. Certe mirata sum nuper pristinam, qua laboravi, literarum intemperantiam; cum hac occasione, non sine rubore, lustrarem meam ad D. *Andream Rivetum* de studiis Christianæ Fœminæ Dissertationem, ubi hæc verba leguntur: *omnes disciplinas honestas sive universam* Εγκυκλοπαιδίαν (ut vocant) *Christianæ Fœminæ, tanquam proprium ac universale hominis bonum, seu ornamentum, convenire*

arbi-

arbitror. Adeo ut omne ſcibile mihi eo tempore addiſcendum eſſe crederem, & quidem, ut ibi Philoſophi verba adduxi, διὰ τὸ φεύγειν τὴν ἄγνοιαν, *propter fugam ignorantiæ.* Nolebam autem commendare aliis, quod mihi ipſi non habebam perſuaſum. Quam procul autem tum meæ cogitationes abfuerint à monito Salvatoris noſtri, *Unum eſt neceſſarium,* omnibus ex modo dictis liquet.

XIV. Deinde, quod ad ordinem, & certam in ſtudiis ſervandam proportionem attinet, etſi ad eam aſpiraverim; illam tamen me non fuiſſe aſſecutam, ſequentia verba ejusdem Diſſertationis oſtendunt, *in primis vero habeatur ratio iſtarum ſcientiarum atque artium, quæ proximam habent cum S. S. Theologia, ac virtutibus moralibus connexionem, iisque primario miniſtrant, quo in genere eſſe putamus Grammaticam (& quidem generalem) Logicam, & Rhetoricam, cum primis autem Logicam, quam clavem omnium ſcientiarum non nemo diſerte nuncupavit. deinde Phyſicam, Metaphyſicam, Hiſtoriam &c. nec non Linguarum, præcipue Hebrææ & Græcæ notitiam, quæ omnia ad faciliorem ac pleniorem S. Scripturæ intellectum (ut nihil jam de aliis libris dicam) nos promovere poſſunt.* Unde conſtat me quidem Theologiæ ſtudio, veluti primario, omnia ſubordinaſſe: ſed ſubordinationem ſe ad infinitum fere extendiſſe, antequam ad puræ Theologiæ terminum perveniret. cum ad S. Scripturæ intelligentiam tam varia & multa requirerem adminicula, ut eorum ſtudium breviſſimæ vitæ mortalium terminos facile excederet. Ac revera, niſi aliter ſtatuiſſet divina benignitas, vita me in ipſo apparatu deſtituiſſet.

XV. Ex-

XV. Exempli gratia videamus unicum *ſtudium Linguarum*, quas vehicula ſcientiarum vocant Eruditi, quibus ſane, quamvis illas mihi remoras eſſe ſæpe comperirem, horas tamen quam plurimas impendi. Sed cui quæſo fini? An ut cum Catone, qui ſexageſimo ſuæ ætatis anno Græcas literas addiſcebat, ejus cauſam indaganti reſpondere poſſem, *ut tanto doctior moriar.* aut, cum junior eſſem, ut tanto doctior vivam? Non utique primarium mihi in illo ſtudio propoſui meum ornamentum: ſed quod Græcam juxta ac Hebraicam linguam reſpiciebam, ac ſuſpiciebam veluti S. Scripturæ originales; & quod cæteras linguas Orientales, veluti Hébrææ filias, ſive ramos, eoque amabiles, &, commendatione doctorum Virorum, dignas, quas inexhauſto labore mihi pararem, mihi perſuaſum habebam. in primis vero Syriacam, Arabicam, atque Æthiopicam, eo quod plures haberent radicales voces, quarum derivata tantum eſſent in S. Literis, eoque lumen aliquod conferrent ad eruendum intimum earum ſenſum: Sed, ſi verum amamus, annon hoc erat faces accendere Soli? aut ex muſca facere elephantem? & in re ſeria, ne quid gravius dicam, ludere? cum illæ voculæ ſint pauciſſimæ, quæ hoc tempore eruditas Verſiones & Hebrææ linguæ peritos lateant. Deinde εὐστοχία quædam ſpiritualis potiſſimum hic requiritur, ad quam parum aut nihil iſta conferunt. Aut enim in lumine Spiritus S. legitur S. Scriptura, aut non. Si non? fruſtra verbuli unius aut alterius Grammaticalem explicationem adhibeas, ad intimam ejus mentem ſpiri-

ſpiritualem aſſequendam: ſin eo Magiſtro doceare? non pendebit ex notitia alicujus voculæ ſeu radicis rarioris verus ac integer, ſive univerſalis ejus ſenſus; quem tota ſeries orationis in univerſali illo lumine repræſentat. cum ſolus Deus, & Spiritus ejus ſit unicus Sacrarum Literarum infallibilis ac realis Interpres.

XVI. Gaudeo tamen vel ideo aliquam variarum linguarum notitiam mihi obtigiſſe, ut illis ſaltem, tanquam Deo ignoto (quemadmodum olim Athenienſes) templum non putem ædificandum; ſed potius magnum illum apparatum, veluti aliquod inanis gloriæ choragium, ſpecioſis iſtis rarioris eruditionis elogiis, veluti ſplendidis aulæis ornatum, ac nimis amplam ſuppellectilem, quo Chriſtiani (certe privati) ſe onerent, Literatoribus illis relinquendum; niſi forte aliquis filiorum Dei divinitus excitetur, qui ſpirituali ſolertia & dexteritate donatus Grammaticam aliquam univerſalem jamdudum à viris cordatis deſideratam, aut ſpirituale aliquod Lexicon, quibus ad converſionem Gentilium aut Judæorum uti poſſit, orbi Chriſtiano exhibeat. Ego vero ita nunc ſentio, vel minimum Dei amoris ſenſum, veriorem ac penitiorem nobis dare Sacræ Paginæ notitiam; quam vel ampliſſimam ipſius Linguæ S. ſcientiam. Atq; idem de cæteris omnibus ſcientiis ſtatuendum exiſtimo.

XVII. Scio equidem, ſi res humanæ tam Eccleſiaſticæ quam civiles in eo ſtatu quo nunc ſunt, eſſent conſervandæ, omnibus iis Theologis & Concionatoribus, qui à Spiritu Dei parum, aut nullo modo erudiuntur, non minus opus

eſſe

esse magno isto externorum adjumentorum subsidio, quam ipsis humanis ac mundanis Oratoribus: ut humano ac mundano suorum auditorum genio morigerentur, ac satisfaciant; eorum nempe aures impleant, raris humani cerebri inventis, pulchrisque figuris, ac floribus Rethoricis, adeoque methodica Orationis concinnitate mentes inanes pascant, & delectent; variosque affectus humanos concitent; aut etiam omnis generis controversias & objectiones, Argumentis ac Syllogismis Logicis tractent, ac humano more refutent; Et denique quemadmodum mundus universus, ita & illi histrioniam exerceant: Verum siqui doctores vere à Deo doceantur, atque Spiritus ejus virtute instruantur ac ducantur, illis tres libri, Scripturæ scilicet, Naturæ atque interioris Gratiæ abunde sufficiunt, ut Deum & seipsos, eoque hominem, in qua notitia omnis vera Sapientia sita est, solidè cognoscant; cujus rei exempla nobis suppeditant Historiæ tum martyrum, tum Albigensium, & superiori seculo, simplicium, ut ita dicam, Idiotarum, qui plures uno alloquio, quam hodierni concionatores passim millenis suis doctis, ac præmeditatis concionibus vere ad Deum convertunt; aut conversos detegunt; quia interno illo Doctore destituti, non nisi ex Schola humana, aridã ac pictam quandam scientiam, qualem eleganter Apostolus τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως vocat, mutuati sunt: qualem & suis discipulis tradunt, ac propinant.

XVIII. Memorabile fuit Dictum emortuale *Riveti*, (cujus memoriam hic renovare juvat,) cum experimentalis & divinitus impressæ scien-

tiæ lucem & efficaciam in anima ſua ſub finem vitæ ſuæ ſentiret, Scientiam è libris hauſtam inſtar ſtercoris aut luti habuit, & in ſapida illa, atque omni obſervatione digniſſima verba * erupit: *Tu es Doctor ille Spirituum. Plus Theologiæ decem hiſce diebus, quibus tu me viſitaſti didici, quam quinquaginta annorum ſpatio. &c.* Quæ cum maxime merentur, ut in ipſo contextu ibidem legantur, ad eum lectorem mitto.

XIX. Non autem ideo hæc dicimus, quod omnes omnino ſcientias veras, & artes utiles, vel neceſſarias ſine diſcrimine rejiciamus; aut puros purè, & utiliter quibusdam earum uti poſſe negemus: ſed quod quamplurimæ earum ſint vanæ, aut ſupervacuæ, quæ hominum amentes mentes in totum occupant, &, ut ad ſolidiora adſpirent, impediunt; neque ipſæ bonæ omnibus ſint bonæ. Nam ſicuti omnia cooperantur in bonum iis qui diligunt Deum: ſic omnia cooperantur in malum iis qui non diligunt Deum. Ita ut omnes mundani, cum fidei oculo careant, nec Deum in ſuo lumine videant, nec ab Amore Dei (quem merito magnum Magiſtrum vocat Auguſtinus) erudiantur, Deique Spiritu deſtituantur; omnes doctrinas, ipſamque S. Scripturam in odorem mortis, ut Apoſtoli verbo utar, ſibi aliisque, qui illos ſequuntur, convertant. Ideoque merito, ac prudenter quam pauciſſimis, ne multis abutantur, uti deberent; ne ſuam damnationem aggravent.

XX. Sive enim veritates in ſe, & Theologiam poſitivam ac Didacticam, ut vocant, tractent, ſive Eriſticam exerceant, in omnibus peccant

* *Dans ſes Dernieres Heures pag. 65. de la Seconde Edition.*

cant, cum ratione S. Scripturæ & Didacticæ non Spiritum literæ, sed literam Verbi Divini, quæ occidit, legaliter ac perverse, ad veterem hominem occidendum, & Satanam debellandum, arripiant, ipsis non est Gladius Spiritus, sed vagina vacua, aut potius gladius ferreus, in manu fatui, quo se aliosque lædunt, dum suam rationem corruptam rebus divinis immiscent; eamque in administratricem, interpretem, & Judicem S. Scripturæ erigunt. eoque Spiritum Sanctum de suo Throno, quantum in ipsis est, detrudunt, atque Eruditionis arma contra Fidei simplicitatem convertunt. Respectu vero Elenchticæ sive Eristicæ exercitationis, (ut terminis Scholasticis in re Scholastica utar) gratum sæpe diabolo erigunt Theatrum, cum istis disputationibus ipse non raro præsideat, atque arma sive argumenta suis propugnatoribus errorum, fabricet aut suggerat, ad veritatem impugnandam, aut ad ambitionem, invidiam, iram & cætera ejusmodi humani pectoris monstra alenda, aut etiam ad rationis ac ratiocinationis humanæ imperium & amorem stabiliendum, materiem ipsis suppeditet, quibus, si non in totum, certe ex parte de ejusmodi fabulæ actoribus triumphet; atque ipsi qui se victores evasisse putant, nil præter humanum assensum, aut saltem sui antagonistæ oris obturationem & linguæ cohibitionem obtinuisse comperient.

XXI. Neque enim est ut quisquam credat rationibus humanis, aut artificialibus argumentis veritatem stabiliri, aut quemquam recte doceri: vel errores subtilibus disputationibus verè & salutariter vinci posse. Non enim est fides divina

quæ rationi humanæ nititur : neq; ejus convicti-
ones novis technis enervare Diabolo difficile eſt.
Quicquid de defendenda Religione, ratione ſc.,
ſtatuat Doctor dictus Angelicus, niſi per Dei gra-
tiam firmetur, ego certe unum efficaciſſimum
eſſe ſcio contra Atheorum aut refractariorum
hominum errores argumentum, vitam incul-
patam, & virtutum Chriſtianarum fulgore con-
ſpicuam; qualis illa erat Sanctæ in Anglia Mar-
tyris, quæ ſe negabat pro Chriſto diſputare
poſſe, ſed ſe poſſe pro illo mori fortiter verbis
& ipſo facto confirmabat. Deinde vel ſolo ſæpe
contemtu, ac deteſtatione, humana ac Satanica
illa artificia, & molitiones, contra doctrinam
Chriſti illudi ac diſſipari experta ſum.

CAP. III.

*De Scientiis humanis: & ſincero judicio;
quod de iis nunc temporis formo ac foveo.*

QUoties ex artificiali illo humanarum ſcien-
tiarum Orbe, quaſi ex Mundo aliquo ima-
ginario, vel ex terris pictis ſeu geographicis,
ad veram cœleſtem Patriam, ſeu ad nativas, rea-
les, & divinas veritates revertor, quæ nobis à
Spiritu S. in ſacra Scriptura tanquam in ſpatio
auguſto fertiliſſimorum camporum exponuntur,
videor mihi aerem purum, ſuavem, & libe-
rum aperto pectore haurire, & reſpirare. Spi-
ritus enim Dei in libris Sacris non minus illuſtri
atque auguſta, quam ſimplici ac plana via omnia
generaliſſima, imo & multa ſpecialiſſima ad il-
lumi-

luminandum & dirigendum noſtrum intelle-ctum, & cor noſtrum inſtruendum melius quam omnes Scientiæ humanæ, largiter proponit.

II. Ut vero particulatim de illis Scientiis aliquid proferam, & animi ſententiam libere, at breviſſime, ſuper iis exponam, dicam nunc temporis quid olim ſenſerim, quidve hodie de illis ſentiam: qua ratione earum vanitatem detegam; & ſi quid boni iis inſit perſpicue oſtendam, à Deo & ejus vera cognitione, in qua per ejus gratiam tota nunc occupata ſum, pendere & fluere: ita ut unusquiſque perſpicere poſſit, me nihil veri ac ſolidi reliquiſſe, cum rerum phantaſmatibus valedixi, & ampullas humanas, & pueriles exſibilavi. Et quidem primo dicam de Metaphyſica, Scientia prima, Sapientia, & Architectonica, ut illam nuncupavit Philoſophus, quam revera tam ob univerſaliſſimum ac ſublimiſſimum ejus objectum, quam ob generaliſſimam atque evidentiſſimam ejus omnium conceptuum ordinationem & tractandi modum, per auguſtam quandam & ſpiritualem abſtractionem à materialibus perinde atque immaterialibus, magnifeci: unde τοῦ παντὸς, per operationem meæ etiam mentis, imaginem & quaſi globum Univerſi, non ut Imperatores in manu, ſed in capite gerebam.

III. Plurima quæ iſta Scientia tractat, quæ hic nunc enumerare non libet, habent, fateor, ſuam jucunditatem (utut imaginariam) & invitamenta ſua: & quidem vel ideo potiſſimum, quod nos à vulgi ſcientia pariter ac ignorantia ſegregant, & ordini Eruditorum adſcribant; nec parum naturali noſtro ſciendi deſiderio gratifican-

tur, ſed & hoc veriſſimum eſt, quod, dum per univerſalium conceptuum ac terminorum Ideas, *Intellectus noſter ſit quodammodo* omnia, juxta axioma Philoſophiæ, divinis veritatibus, ſæpe occludi viam; atque in quamplurimis hanc mere humanam ſcientiam veræ ſupernaturalis Sapientiæ, quæ mundo, imprimis erudito, eſt ſtultitia, locum præoccupare, atque ita implere illorum intellectum, ut felicius raſa tabula manſiſſet. Præterea Terminos illos quos Logica & Metaphyſica potiſſimum ſuppeditant, ita hic conſidero tanquam artificioſas quaſdam capſulas rerum, aut verius humanorum conceptuum; quibus commodius ac brevius ſua cogitata complectitur Orbis eruditorum, eaque ſuis conſortibus, & quaſi concivibus tradit: ſed quibus etiam ſe iſtis Chriſtianis, qui non niſi Spiritus Sancti, ac Scripturæ linguam intelligunt, peregrinos ac Barbaros præſtant: pari fere invento, ut videmus mercatores in Republica peculiaribus quibuſdam ſignis & characteribus uti, quibus alios à cognitione pretii ſuarum mercium excludant: Et ſic, quaſi non ſatis linguarum in mundum eſſet introductum, per ſuperbiam, & maledictionem Babylonis, novas loquelas & idiomata, imo & barbaros quoſque dicendi modos excogitavit luxuries ingeniorum, & univerſalis generis humani corruptela, quæ ut ita dicam, idiotiſmis gaudet. Quæ procul dubio omnia Babyloni eſſent relinquenda, ſi Chriſtus ubique regnaret.

IV. Ego certe ſic ſentio maximum fore Regni Chriſti commodum & ornamentum, ſi omnes ejus ſubditi non ſolum ejusdem eſſent ſententiæ

&

& ſenſus: ſed & communi uterentur lingua cœleſtis curiæ, qua recte & ſapienter de ſuo Rege, ejusque Regni jure, ac privilegiis, moribusque loquerentur atque intelligerentur reciproce. omniaque optima (quantum fieri poteſt) haberent communia; præſertim vero ſermonem, omnis commercii ac communicationis commune maximeque neceſſarium Inſtrumentum.

V. Porro ne de Principiis hujus doctrinæ nihil dicam, verum eſt quod de ſublimioribus argumentis, & ſubordinatione Attributorum Dei accuratos videatur formare conceptus: ſed obſecro, quid ad veram, intimam, ac ſalutarem Dei notitiam, ejusque gloriam confert tam arida ac ſuperficialis de rebus divinis ſcientia? Imo ſi optimo modo de Deo noſtro cogitare velimus, hi conceptus, qui prius & poſterius quid in Deo conſtituunt, & Attributa ad Eſſentiam, ſive Deitatem; & Omnipræſentiam ad Infinitatem, tanquam aliquod ſuum principium referunt, ut oriuntur in mente noſtra, illico corrigi, aut annihilari debent. cum non conveniant cum ſimpliciſſima Dei unitate, & primitate abſolutiſſima, eoque cum in noſtro tantum capite naſcantur, in ea terminentur ac moriantur oportet. Jam verò ſi propius accedamus ad objectum hujus ſcientiæ, quod ei univerſaliſſimum aſſignatur, cum ſub *Entis* ipſius conceptu involvitur: videbimus certe vix quicquam in eo reperiri, quod animos noſtros ad ejus contemplationem intimamque cognitionem alliciat: niſi omnis ejus Eſſentia in Ente ſupremo ſancte conſideretur: Etenim quid ſunt, amabo, Entia finita

creataque, nisi quædam umbræ veri Entis? nihil habent à seipsis; virtute propria non subsistunt, & si quid habent veri & solidi, id omne à Deo mutuantur. Hoc novit Ethnicus ipse *Seneca*, cum ingens inter creaturam Creatoremque discrimen contemplans, exclamat: *Nos aliunde pendemus: itaque ad aliquem perspicimus, cui, quod est optimum in nobis, debemus: alius nos edidit, alius nos instruxit: Deus ipse solus à se ipso est*: Sed melius ipso Tertullianus, cum ait: *Quod colimus & nos, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum Majestatis suæ.* At omnium optime de se Deus ipse testatus est, cum Servo suo Mosi significavit nomen suum esse אהיה *Ego sum ille qui sum* Ex. 3: 14. ac si cætera omnia revera non essent, & cum ejus Essentia gloriosa collata, prorsus indigna Entis appellatione censeri deberent. Deus solus illud est Ens, cujus *Essentia cum ejus Existentia eadem est*, & cujus *Unitas, Veritas, & Bonitas* absoluta, infinita, & necessaria est, à conceptibus nostris minime pendens: ideo solam Metaphysicam vere supernaturalem ejusmodi *Ens*, quod pro Objecto sibi statuit vulgaris illa scientia, scrutari atq; recte agnoscere judicamus ac statuimus: Creaturæ omnes, utut nobilissimæ, tantummodo sunt vanitas, ut ait Psalmista regius, trutinæ impositæ Nihilum ipsum pondere eos superaret.

VI. De Affectionibus Entis, atque illius Propriis, quæ revera soli Deo propria sunt, nimirum *Unitate*, *Veritate*, *Bonitate*, ut singula no-

notatu digna profequar & examinem, non admittit mei propofiti anguftior meta. Quid enim eft quod non probet, Entis unitatem in fola reperiri fuprema Unitate, quæ inter omnes alias faftigium, quod infinito intervallo à cæteris diftat, occupat: iisque quicquid habent unitatis, communicat? Ubi Veritas earum omnium Perfectionum, quæ Enti attribuunt Metaphyfici, nifi in folo Deo? Quis vere Bonus præter ipfum? Si Chrifto credimus, nullum aliud Ens, Boni nomine defignare fas eft. nec fine gravi caufa, cum Deus fit fons omnis bonitatis; quam inexhauftam in feipfo poffidet, aliifque ex fcaturigine fua in æternum perenni, pro lubitu largitur & impertit. Chriftiana ea eft Metaphyfica, quæ Deo omnia, creaturæ vero extra Deum nil nifi vanitatem, imo perniciem tribuit: eam autem nunc excolo, nunc meditor, & in ejus Myfteriorum cognitione me falutariter oblecto. Quis ergo mihi objicere poteft, me vanitatem Scientiarum contemnendo, veritatem earum, fi quam habent, refpuere & tanquam Chriftiano Viro vel Fœminæ noxiam, abhorrere, ac condemnare?

VII. Poft Metaphyficam in pretio habui Phyfices Scientiam, ob pulcherrimum rerum naturalium argumentum: fed quam multiplici (quæfo) defectu, quanta obfcuritate, incertitudine, inanitate ac vanitate hic quoque laborant omnia, quæ nobis ibi à Philofophantibus paffim traduntur! ita ut doctiffimus quisque non immerito cum magno Scaligero pronunciet, eos inftar vulpis vas vitreum extrinfece lambere, de pulte verò non guftare, in tanta formarum,

quæ

quæ ſcilicet dant eſſe rebus, communi ignoratione. Accedit quod illi qui ſine lumine divino indagationi naturæ in particulari ſe applicant, ita in ejus abyſſum immerguntur & immorantur, ut paſſim convertantur in Atheos, ſola creatura contenti. Atqui illa omnia quæ nobis Deus tam in ſuo verbo, quam in creaturis, cum perpetua ad illorum Principium & Finem relatione proponit, & imprimit; alio prorſus modo, auguſtam, profundam, certam ac divinam rerum notitiam mentibus humanis, aut verius Chriſtianis ingenerant.

VIII. Alia prorſus creaturarum facies & vox eſt, quando in ipſis, & per ipſas Creator ipſe loquitur, quam ſatis planè & plenè intelligunt omnes quibus oculi ad vivendum, aures ad audiendum, cor ad intelligendum à Deo data ſunt; ita ut ſæpe invenias homines ſimplices, atque illiteratos, qui per generalem creaturarum contemplationem, Deum in ipſis videant & cognoſcant, & per eas tanquam ſcalas in cœlum aſcendant, earumque Auctorem in ipſis, atque extra ipſas admirentur, ament & colant, ſive adorent: juxta celebre illud dictum Auguſtini, *ſimplices & indocti rapiunt cœlum: & nos cum literis noſtris volutamur in carne & ſanguine, ac detrudimur in infernum*: utique literati & Philoſophi, qui remotiora, & maxima Naturæ arcana rimantur, ſic ſæpe dubiis & quæſtiunculis irretiuntur, ut illis omnia in laqueos & ſpinas converti non injuria dixeris.

IX. Adeo ut hic paradoxum, ſed & veriſſimum hoc Axioma proferre libeat, *Neminem eſſe vere eruditum accuratumque Phyſicum, niſi verum*

rum Christianum. Atque ideo, si Galenum Medicum miramur aliquando per admirandam humani Corporis fabricam ad ejus Autoris laudem fuisse excitatum: ad veros potius Christianos philosophantes animo convertamur, qui soli Deum sibi semper & in omnibus præsentem vident, & sentiunt, eoque vel ad generalissimum sui aliarumque Creaturarum conspectum eum laudibus suis concelebrant; quæ divina nituntur veritate, ac vera Dei cognitione. Et revera illos esse solos veros philosophos ac naturæ indagatores, hinc patet, quod ea omnia soli cognoscunt, quæ creaturarum naturalium essentiam præcipue spectant, quæve in earum veram, plenam & intimam cognitionem introducere possunt. Quis enim, exempli causa, ausit negare *eum solum veram hominis habere notitiam*, qui ejus causas rimando perscrutatus atque assecutus est. qui ejus materiam, nempe corpus; & formam, animam scilicet & spiritum, verumque ejus Principium distincte cognovit; & qui ejus jura ac prærogativas seu defectus animo suo perlustravit; ac tandem qui finem, in quem conditus est ab Authore suo, rite considerando detexit? Quis etiam unquam jure asseret aliquem horologii aut alicujus alterius operis sibi comparasse notitiam, qui tamen à quo, nec quomodo sit factum vere sciet; qui *internum* ejus motuum principium ignorabit; qui rectum ejus usum non norit; nec denique præstantiam, aut ignobilitatem hujus opificii ullatenus perspectum habebit? Hæc cum ita sint, manifeste sequitur veros Christianos solos esse Philosophos, eosque tantum veram creaturarum habere cogniti-

gnitionem. Illi enim ſoli cognoſcunt verum earum Principium, unum illum verum Deum; qui vaſtum hoc naturæ theatrum, ex nihilo, uno ſuo verbo potenti produxit, & ſuſtentat; uti & unicum ac ſummum earum omnium Finem; ejusdem ſcilicet Principii gloriam ſive glorificationem. Illi ſoli norunt unicum & verum omnium rerum, quæ non ſunt ſui juris, Dominum, & Poſſeſſorem; eundem ſcilicet unum verum Deum, qui ſummum & abſolutiſſimum habet in omnes creaturas jus ac dominium. ut hic de jure Jeſu Chriſti omnium Hæredis nihil dicam. Illi præterea recte intelligunt Deum vivum, & Authorem vitæ eſſe omnium rerum quaſi Animam, & vitam, omnisque vitæ vitam; primumque omnium Motorem.

X. Quamvis autem innumera fere jamdudum noverim argumenta, quibus iſtæ veritates probari poſſunt, à divinis nimirum Attributis vel infinitatis, immenſitatis, ubiquitatis atque omnipræſentiæ, vel à Dei primitate & cauſalitate, ut ſic loquar, deſumta, qua Deum influere immediate in omnes, non ſolum effectus, ſed & cauſas edocta fui, quæ omnia intimam tam divinæ eſſentiæ, quam ejuſdem operationis præſentiam arguunt: attamen, neſcio quomodo in ipſa praxi illam doctrinam, quæ Deum intime præſentem omnibus, non tantum cœleſtibus, aut intellectualibus: ſed & terrenis, infimis & viliſſimis creaturis ſtatuit, atque in iiſdem omnibus illum videri, palpari, ac guſtari, tactu ſc. & guſtu ſpirituali, poſſe ac deberi, tanquam aliquid à divina majeſtate alienum, ad uſum revocare vix antehac conſuevi:

ſed

ſed juxta communem plerumque conſuetudinem S. S. Trinitatem tanquam in cœlo reſidentem,& quaſi è longinquo conſpiciendam adoravi. cum tamen ejus Gloriæ non indignum ſit, Creatorem & Redemptorem creaturis ſuis, quas creare, & continuata veluti creatione conſervare, & quaſdam earum æternum ſalvare dignatus eſt, tam per ſuam eſſentiam, quam influxum perpetuum, naturalem juxta atque ſupernaturalem ac ſalvificum adeſſe, & ineſſe. ita ut Deus ipſe magis quam creatura, quæ tantum illius aliquod velum eſt, ab oculatis videatur, ſentiatur, guſtetur & adoretur.

XI. Quod ſi porro in illam Philoſophiæ partem, quam à moribus Moralem nuncupamus, animo convertimur, certum eſt illam ſatis ſplendide de ejus fine ultimo ſeu ſummo Bono, de illius mediis, ad illum finem conſequendum, deq; ipſius inſtrumentis & bonis, ut vocant, ſecundariis, quæ vitæ civilis triplicem ſtatum, nimirum privatum, œconomicum & Politicum dirigunt & inſtruunt, diſſerere: ſed ſingula excutere ſi mei eſſet inſtituti, nemini non liqueret, quam miſere à vero & recto aberrent, quotquot Lumine & Gratia Religionis Chriſtianæ deſtituuntur. Vulgo notum eſt, quam variæ fuerint veterum Philoſophorum *de Summo Bono* ſententiæ. Omnium tamen proxime ad ſummum hunc ſcopum collimare mihi viſi ſunt Platonici, qui illum in convenientia cum Natura, ſive Deo, aut, ut ipſi loqui ſolent, cum Idea divina conſiſtere aſſerunt? Sed re bene perſpectâ, verba quidem ſunt ſpecioſa: attamen quia neq; verum Deum, neque ſeipſos vere cognoverunt, rem ipſam

ipſam ignorarunt, & vera non vere, nec plene dixerunt. Et quicquid ſit, ſemper in ſui perfectione, non ut in medio unionis ſuæ cum Summo Bono: ſed ut in ſuo fine quieſcunt, cum omnia eorum deſideria ex pravo principio proprii ſui amoris, qui ſuum privatum bonum privatæ perfectionis terminis vane & fruſtra includit, oriantur.

XII. At Chriſtiani, inquient, Philoſophi, qui verum Deum & ſemetipſos norunt, anne illi verum Bonum Ethicum, ſeu Summum ejus Finem recte cognoſcent? Fateor, ſed non quatenus philoſophicis ratiocinationibus, vel ratione humana, ſed lumine Gratiæ ac Scripturæ ſunt inſtructi, & vere amore divino imbuti. Solos enim vere Chriſtianos, à Deo ipſo edoctos, pro optimis Ethicis, & moralis doctrinæ peritis habendos eſſe cenſemus: qui *Summum Finem* in uno, vero, bono, *Deo ipſo*, in ſeipſo & de ſe ipſo eſſentialiter & unice Bono, *ejusque communione* conſtituunt; nec ulla re magis, quam quod Deus ſit, & tam perfectum & infinite glorioſum Ens ſit, gaudent ac gloriantur, absque reſpectu ad ſeipſos. Unde liquet quam longe à ſcopo aberrent ii, qui in virtute hominis, ejusque activitate fundamentum ſuæ beatitudinis locant, & infinitum infiniti boni deſiderium (ipſis non fruſtra à Deo inditum) finita ſua virtute, vel ejuſdem actione terminant. Prorſus alia Chriſtiani hominis mens, & felicitatis terminus eſt, qui ſe ipſum ſuaque omnia pro nihilo habens, aut tanquam guttulam maris intuens, tunc demum ſe beatum judicat, quando immenſo Divinitatis Oceano immerſus, illius

boni-

bonitate ac beatitudine circumfunditur, penetratur & adimpletur; quique non tam agit, quam recipit lumen divinum; ut fit in visione, quâ expressione & metaphora S. Scriptura in hac materia utitur, quæ revera non fit per emissionem radii visivi, sed per receptionem specierum visibilium, ita ut potius infinito illo Bono comprehendatur, quam ut illud comprehendat.

XIII. Media quæ Philosophia moralis ad illius finem ultimum consequendum poscit, non minus vana, quam varia sunt; si enim sumamus Peripateticam hac parte examinandam, longe lateque, ut ait Seneca, suæ felicitatis terminos extendunt, quando nimirum ad exercitationem virtutum, sive ad complementum atque integritatem beatitudinis, omnia etiam bona externa, libertatem, sanitatem, divitias, dignitatem, oblectamenta, & similia omnia; nec non carentiam sive absentiam omnis mali requirunt. Stoica quidem longe æquior & generosior hic esse videtur, quæ solam virtutem seipsâ contentam, sibique sufficientem asserit, & in tanta, virtutis scilicet, claritate, scintillam negat habere momentum. imo Sapientem etiam in maximis tormentis esse beatum, suis paradoxis stabilire nititur. Quæ non longe à Christianismi axiomatis abesse dicas, quæ statuunt omnia cooperari in bonum iis, qui diligunt Deum. & ipsas persecutiones, opprobria & paupertatem Christianos reddere beatos. sed, ut hoc de utrisque illis addam, quid magis perniciosum & Christianæ vitæ contrarium est, quam in hominis virtute acquiescere, eam-

atque vice Dei pro ſummo bono amplecti? & ſi quid alias Deo dignum de Deo ſentiat, illam notitiam potius ad ſuam, quam ad Dei gloriam referre, omniaque ad privatum ſuum bonum ſubordinare? Alia prorſus & ſublimiora media habet Religio Chriſtiana ad veram unionem cum Summo Bono perveniendi; quippe cum Chriſtianus ſeipſum, omnesque cæteras creaturas abdicans, eoque bonum imperfectum, partiale, dependens, ac finitum relinquens, perfecto, independenti, infinito ac totali adhæret; eo ſolo contentus; nihilque præter ipſum deſiderat, nullum bonum creatum, niſi in, & cum illo expetit, & quidem per ipſum, & pro ipſo; ſolo ipſi placendi ſtudio. atque omne ſuum bonum extra ſe quærit, & in ſolo Deo acquieſcere gaudet.

XIV. Quam è diverſo obſcure, quam imperfecte, non dicam Philoſophia Ethnica, ſed quam vocant Chriſtianam, hæc attingit? quæ ipſa ſe ſententiæ Ariſtotelicæ haut ægre jungit, dum certe nonnullam beatitudinis partem in bono utili, jucundo, atque honeſto, ſive etiam ſpirituali ac corporali; quod à creatura fluit, collocat, ſine reſpectu ad purum ac ſimplicem amorem Creatoris, quo omnia bona abſolute referri debent, non autem ab ulla creatura detineri aut terminari. Sed ſola Ethica, ut dixi, vere Chriſtiana recte & ordine docet veram viam ad vitam beatam, & unionem cum ſummo Bono. Quandoquidem illa ſola primo demonſtrat hoc pendere ab illo ipſo ſummo Bono, juxta ipſius beneplacitum, & ſupremam atque abſolutiſſimam ejus libertatem. Deinde Dei

eſſe

esse voluntatem pluribus sese gratuito communicare: quod facile etiam exsequitur, quia ejus voluntati nemo resistit. Porro Deum sibi elegisse atque ordinasse suæ unionis cum homine aliquod admirandum atque incomprehensibile medium, quo Summum Bonum cum infimo, Increatum cum creato, Perfectum cum imperfecto conjungeret; omnemque Bonitatem comprehensibilem in unum colligeret, & indissolubili vinculo connecteret. eoque Ens creatum efficeret verum Bonum, per unionem cum ente Increato. Denique revelat hanc unionem primario esse factam ineffabili modo, in magno illo Medio sive Mediatore, ac Messia, Deo & homine, Creatore simul & creatura, Filio Dei & hominis, Jesu Christo, in quo ens creatum unice subsistit in Ente Increato; quo terminatur, quo refertur, & quo sustentatur, ac conservatur, quove perficitur ac consummatur. Postremo ostendens illum Messiam, unicum illum esse Mediatorem, qui imperverstigabilem hanc viam, ad unionem inter creaturam cum suo Creatore; & summo Bono restituendam, aperuit, per suam satisfactionem offensæ, qua homo perversus & iniquus Deum, Ens increatum, creato postposuerat, ac jus ejus divinum violaverat; eoque viam sternens, ut Summum Bonum, salva ejus Justitia, sese illi reconciliare ac communicare posset, non aliter ac si nunquam pax inter hominem & Deum fuisset interrupta: & pro parte hominis illi infundens desiderium novum reconciliationis & unionis suæ cum supremo suo Bono; ac præterea notitiam illius salutarem, atque amorem, ac studium illud quærendi, imo

vires ad illud se elevandi, illud assequendi, & possedendi. Quæ omnia si pro dignitate rerum exprimere conarer, parum me intelligere ostenderem earum incomprehensibilem sublimitatem.

XV. Breviter Christiana Veritas sola revelat, viam ad vitam beatam esse partim Abnegationem suiipsius, & omnium creaturarum; speciatim perversi amoris sui, & omnis creaturæ, extra, aut præter amorem Creatoris consideratæ: partim donationem ac dicationem sui, suorumque illi suo Redemptori ac Domino Jesu Christo, ad credendum omnia ejus Axiomata, & amplectendas omnes ejus veritates, & Mysteria: & ad sequendum fideliter, & absolute omnem ejus voluntatem; maxime vero ad Personæ ipsius adhærendum, atque ejus vestigiis insistendum. Ab ipsa enim, sc. veritate Christiana, manat & in nos derivatur omne lumen, ad cognoscendum illud Summum Bonum, amor eo contendendi, vires ad illud consequendum, & facultas illud sibi æternum uniendi.

XVI. Sola etiam Ethica Christiana est, quæ tradit veram notitiam virtutum: tum quia detegit illarum Principium, nempe Spiritum S. ut docet Apostolus 1. Cor. 12: 11. Gal. 5: 22. tum quia nos elevat supra Naturam, quæ nullam veram virtutem in nobis producere potest, & introitum nobis parat ad Gratiam salutarem Christi, quæ sola illas operatur; præterea Doctrina Evangelica & Gratia Christiana non solum dat præcepta virtutum, sed & ipsas communicat virtutes. Denique ipsa docet, quod omnes virtutes fluunt ex amore Dei, eo-

que

que referuntur. Summatim illa detegit in eo ipso essentiam virtutis consistere, quod pro suo principio habeat verum Bonum, nempe Deum ipsum, Spiritum purum, ejusque amorem; pro fine Deum, verum bonum ipsum, ejusque meram gloriam; pro regula & norma, supremam ejus & sanctissimam voluntatem, & conformationem ac convenientiam suam cum ejus natura & divinis perfectionibus.

XVII Non sinit argumenti dignitas, ut sine ulla observatione transeam, *Ethica* veræ, id est Christianæ, Regimen in *Passiones* seu affectiones humanas; de quarum propriis ista notabo: *Primo* quod, quæ pure naturales sunt, bonæ, imo divinæ sunt, ut à summa ac Divina Bonitate ortæ; quæ omnibus suis creaturis hoc dedit suæ approbationis testimonium, quod valde erant bonæ. *Secundo* quod omnes irregenitorum passiones, utut illas palliet ars, aut honestas humana, sint pravæ ac noxiæ; quia à pravo principio, amore sc. perverso sui ipsius proveniunt, & ad proprii commodi ac gloriæ finem tendunt; tantoque pejores ac culpandæ sunt, quanto plus de isto principio, ac fine participant. *Tertio*, omnes passiones Christianorum vereque regenitorum renovatas, ac primæ suæ origini esse redditas, id est valde esse bonas; ut quæ à Divino Principio Spiritus Christi, novæ creaturæ Creatore, regenitæ sive renatæ sunt, ad imaginem Affectuum sive Passionum sanctissimarum Christi, eoque sponte regimini Christianarum virtutum subsunt, & ductu S. Spiritus juxta normam Dei Voluntatis, intus & extra revelatæ, moderantur ac diriguntur ad summum illum o-

mnium Finem Dei Gloriam, deque ejus bonitate, & gloria participant, atque in eo ſolo acquieſcunt.

XVIII. Hinc manifeſtiſſimum eſt ſolam Chriſtianam Ethicam, quæ omnes vitæ humanæ ſtatus dirigere debet, recte inſtruere unumquemque, quomodo in ſua vocatione privata, œconomica, vel Politica prudenter, fortiter, temperanter, juſte & pie vivere oporteat: Perſonamque Principis, vel hominis privati, vel Patrisfamilias digne, feliciter ac ſalutariter ſuſtineat, ad Deum ſuum glorificandum, ſuam præſentem, atque æternam beatitudinem conſequendam: quæ fruſtra ac ſtulte ab Ethica humana, ſive Philoſophia communi exſpectemus. Nec revera, ut antea credebam, tam multa ab humanis illis ſcientiis mutuo ſumendum.

CAP. IV.

De Theologia Chriſtiana, Lege, & Evangelio.

ac

De præterita mea pietate, ejuſque exercitiis, præſertim vero de Sabbato, cujus praxin Judaico fere modo olim obſervatam perſpexi.

EX ſuperioribus ſat liquet, me multum in ſupervacuis laboraſſe; neque in talibus Scientiis ſervaſſe modum: itaque properandum mihi ad

ad *Theologiæ Reformatæ* veritates, & *pietatis studia*, quibus cætera subordinabam. quo nomine jam à pluribus judicabar beata, utpote in quibus eos fecisse videbar progressus, ut non amplius recta & ulteriore gradu, sed tantum in gyrum ire, ad omnia ac singula mihi perpetuo renovanda, haberem necessum. Neque revera solum Theologiæ Theoreticæ, & practicæ Theoriam; sed & Practicæ praxin animo sincero, pro meo gratiæ modulo, excolebam. Atqui, ut in cæteris rebus, res, & conceptus plurimum sæpe differunt; ita & inter illas intellectu comprehensas veritates, in mente quasi depictas, atq; etiam amore quodam in corde receptas; & inter totalem mentis & cordis eversionem, conversionem & emendationem multum interesse quotidie addisco. Universam, fateor, Theologiam aliqua ratione intelligebam, & amabam, ita ut illius contemplationi immori voluissem, eoque ne quid memoriæ meæ excideret, aut non omni tempore, quo vellem, occurreret, tam Theoreticam sive Dogmaticam, quam Practicam, eamque quam Asceticam, ab exercendo vocavit Antiquitas, mihi accurate in tabulas cum omnibus suis distinctionibus, & subdivisionibus, aut etiam definitionibus digessi; in quibus omnes, Scientiæ sc. principis thesauros, omniaque mea officia, quasi uno obtutu lustrarem: sed eatenus sane quid aliud nisi formam sive figuram scientiæ excolebam?

II. Quare etiam in ea non acquievi: verum juxta illam notitiam me exercere serio studui ad pietatem. Magnam autem ejus partem ponebam in precibus & jejuniis; iisque tum publi-

cis, tum privatis; vel ordinariis, vel extraordinariis, quibus conſtanter intereſſe gaudebam. Dolebam autem vehementer, ſicubi me latuiſſet eorum, quos pro vere piis habebam, conventus, ubi pro bono, vel publico vel privato, petebatur benedictio Divina, quibus certe nimis late omnes promiſſiones Divinas applicabam. præterquam quod matutinis ac veſpertinis precationibus domeſticis præibā, & ter ſingulis diebus, ſtatis horis, quantum fieri poterat, ad exemplum prophetæ Danielis, ſolitariis me adſtringebam. Nec ingratum hoc eſſe putabam Deo Sacrificium, ob meum qualemcunque conatum, licet ſæpe oleo, & igne cœleſti carerent; quem tamen Deum noſtrum olim in Sacrificiis rigide exegiſſe, ejusque defectum, atque terreni ſubſtitutionem, tremendo exemplo puniviſſe, in ſacrificio filiorum Aaronis, non ſemel legeram; donec tandem exquiſitorum verborum inani molimini, humilia ſuſpiria ſubſtituenda, iisque anteferenda eſſe experimento didici.

III Et hoc erat conforme S. Scripturæ, quæ nos indeſinenter precari jubet: ſed in Spiritu & veritate. quæve nos certos facit, fundum cordis noſtri, ut & ſtatum noſtrum Deo humiliter expoſitum, quando noſtræ perſonæ ipſi gratæ & acceptæ ſunt in J. Chriſto, ſæpe quam optime precari. Eo *Lactantium* reſpexiſſe arbitror, cum diceret, *optimum animum pulcherrimum Dei cultum eſſe.* Sed verbis vere Evangelicis hæc propoſuit Apoſtolus, quando filios Dei de hac infirmitate ſolatur, *Spiritus*, inquiens, ſc. Chriſti *una ſublevat infirmitates noſtras, quid enim oremus ut oportet non novimus, ſed ipſe Spiritus*

ritus intercedit pro nobis suspiriis inenarrabilibus. At ideo necesse est Spiritum Christi esse in nobis, ut in nobis & per nos precetur, & nos precari faciat, mentemque & cor nostrum Deo uniat, ejusque infinito Divinitatis Oceano immergat. Deum ipsum ejusque Spiritum primum esse rerum & actionum omnium Motorem, nemo non Reformatorum asserit: sed quam multi in opere salutis, etiam qui audiunt devotissimi, se movent, non moti; & agunt, non acti à Deo? contra veritatem visionis Ezechielis, cap. 1. 20. ubi Spiritus vitalis, qui aderat rotis, illas ire, aut consistere faciebat. Et quam paucos hodie invenias, tam ad silentium religiosum cum Psalmista Regio, Ps. 61: 1. quam ad clamorem, Ps. 130. 1. compositos? Hic mihi in mentem venit studium atq; exercitium Academicum (quod mihi hic, tanquam insigne indicium recessus summi illius Doctoris precum, indigitandum videtur) quo ars precandi, per instrumenta Logica & Rethorica, ac per delineationem precationum, in tabulis repræsentari, atque Theologiæ studiosis inculcari solet; quibus deinde in cœtibus publicis, aut etiam privatis utuntur. Quæ ars miserrima sui interim cultores atq; admiratores invenit; nec sine ratione, cum preces istæ sociæ suis certis horis adstringantur; & paucissimos hoc tempore videas, super quos divina Gratia Spiritum precum effudit. eoque urgente necessitate ex tempore preces formare possint.

IV. Ne vero singula meæ pietatis Exercitia hic prosequar, hoc unum loco omnium notabo, quod operam singularem navaverim observati-

oni Diei SABBATHI, utpote in cujus praxi cætera omnia pietatis exercitia concurrebant. Illum enim, quia in *Diem Dominicum* translatum credebam, religiosis operibus (sic dictis) tanquam Deo peculiari modo sacris, in solidum & solum, cum remotione omnium operum (ut vocant) servilium, mihi sanctificandum esse putabam. Eo vero præ cæteris me adducebant Exempla prorsus contraria, Religiosorum nempe ac prophanorum hominum; quorum illi hunc diem, juxta quartum præceptum, superstitiosissime, hi vero dissolutissime transigebant. Et quemadmodum illi ad sui imitationem me attrahebant: ita hi, ut quibus dissimillima esse optabam, ab illius neglectu me deterrebant, Hoc certe homines isti mundani, qui longe maximam partem Orbis terrarum occupant, & nusquam non obvii sunt, sua vivendi ratione effecerant, ut mihi, aliisque nullum reliquerint scrupulum, audacter cum Pharisæis concludendi (cum nobis constabat de aliquo, quod diem *Sabbathi* rigidissimo cultu non observaret) *Homo iste non est de Deo: nam Sabbatum non observat.* quod uti in illis erat malitiosum, ita in nobis temerarium erat judicium. Exempla vero pietate clarorum virorum mihi primo exhibuere Ultrajectenses Theologi, qui hanc praxin fortiter, ex vi quarti præcepti urgebant; deinde Angli, & Scoti quidam, ob persecutiones visi illustres: denique omnium singularissime Exemplum *D. Theodori Brakelii*, *Concionatoris Mackumensis*, mihi, quamdiu vixit, amicissimi, cujus sinceræ pietatis, juxta notitiam, quam illi Deus concesserat, oculata testis

atque amatrix fui, præcipue me affecit. Recordor autem, cum me una cum Fratre meo dilecto, qui illum quoque nomine pietatis vehementer diligebat, peramanter hoſpitio ſuo excepiſſet, adeo rigide omne opus ſervile, ut vocant, primo die ſeptimanæ rejeciſſe, ut potius per totum illum diem ab omni cibo abſtinuiſſet, quam ut de pane, aut aliquo ferculo, poſt horam octavam præcedentis diei (unde requiem ſuam inchoabat) emto, vel cocto unicam micam deguſtaſſet. Quæ uti profanis hominibus opponi poſſint, ita piis Chriſtianis præſcribi non debent: cum iſtorum vita Ethniciſmum, horum vero Judaiſmum manifeſte ſapiat. Quando vero non immerito minus malum eſſe cenſebam Atheiſmo ſuperſtitionem, ſemper magis ad horum, quam ad aliorum partes, qui cum illius diei obſervantia omnem pietatis praxin repuliſſe videbantur, propendi, easque ſerio amplexa ſum.

V. Illum pium virum, me, aliosque quam plurimos, ut novi, hoc potiſſimum movebat argumentum, ſi Judæi, populus ille ſervilis ac mercenarius, juxta mandatum Dei, tenebatur ipſi unum de ſeptem diebus integrum conſecrare diem: multo magis ad id obligantur Chriſtiani; quibus tot acceſſere ab adventu Meſſiæ graviſſimæ rationes, quibus ad majorem erga Deum gratitudinem, & obedientiam conſtringuntur: Conſequentia manifeſta eſt: ſed major ſic fuerat corrigenda, ſi populus ille ſervilis, mercenarius, ac typicus tenebatur diem unum, quem Deus ſibi ſanctificandum, ſub certo myſterio, ac diſpenſatione legali exigebat, ipſi integrum dicare

dicare, multo magis populus voluntarius, ab omnibus iſtis obſervantiis ac differentiis dierum, locorum, aliisque externis ritibus liberatus, animoque & corpore Chriſto dicatus (uti ejus ſanguine Divino emptus, ac redemptus) tenetur ſe, ſuaque omnia, omnesque ſuæ vitæ dies, ſingulaque dierum ſuorum momenta Deo & Chriſto conſecrare; nec quicquam ſibi reſervare.

VI. Sed nec omnibus ſuis, nec omnia, omni tempore revelat Deus, quamvis etiam in S. Literis aliquo modo, & quo ad ſubſtantiam rerum divulgata ſint: quod exemplo Apoſtolorum comprobatur, cum enim in tempus erectionis Regni Iſraelis, ſive Regni Chriſti glorioſi in terris inquirerent: Salvator ipſis non convenire dixit ſcientiam eorum temporum, quæ Pater in ſua poteſtate retinebat. Quia nimirum de illo tempore cogitare, non erat tempus opportunum, cum Reſtitutionem Eccleſiæ, & plenam libertatem filiorum Dei præcedere debebat defectio Eccleſiæ, ejusque miſera ſervitus ac perſecutio, per Draconem, & Antichriſticum Regnum. Ac revera mox, poſtquam primitias Spiritus S. acceperat Eccleſia primitiva (quarum vis & operationes ſe vix ultra Apoſtolorum, atque primorum Evangeliſtarum tempora explicuit ſive dilatavit) Antichriſtici Regni tenebris, lumen Evangelii innumeris hæreſibus obſcurari, vitæque Chriſtianæ fulgor, omnibus impietatis artibus, coarctari cœpit. Nam poſt primum ac humilem Chriſti adventum Chriſtianiſmus à Judæis paſſim rejectus, ab Ethnicisque, Judaico ferè more, receptus, tandem hoc tempore ab uni-

universali quodam Anti-Christianismo tantum non oppressum videas. Et quod omnium deploratissimum est, non solum mundani, quorum mentes deus seculi occæcavit, sed & ipsi *videntes* (uti prophetas nominavit Antiquitas) in hisce misere cœcutire non injuria dixeris; quando scilicet de veris Regni gratiæ privilegiis, opposite ad Judaismum quæstio incidit. Eoque non raro ad egena, atque infirma revertuntur Elementa, ac se servos legis ultro constituunt. Cum tamen veri Christiani *non acceperint Spiritum servitutis, rursus ad metum. sed Spiritum adoptionis, per quem clamant Abba Pater.* ut Apostolus testatur. Si vero filii sumus nec amplius infantes, qui à servis non differunt, quomodo Patri nostro, qui Spiritus est, & Pater spirituum, non serviemus tantum ex puro & filiali amore? in Spiritu & veritate? idque omni tempore, ac loco?

VII. Ast videor hic quosdam eorum, qui mecum singulares Sabbathici cultus fuere observatores, mihi obloquentes audire, An igitur Schurmanna ita de pristino suo zelo, & de illius cultus ἀκριβείᾳ, quam verbis & exemplo aliis commendare solebat, remisit, ut illum aliis diebus, cum prophanis hominibus, æquare videatur? Quibus jure respondeo me nunquam longius à prophanorum mente, aut exemplo recessisse; nec quicquam de meo fervore in Dei cultu, per divinam gratiam, relaxasse: sed è contrario illum magnopere, etiam in illa die spiritualiter transigenda, nunc esse accensum atque auctum, ita ut nihil non religiosum, & religiose illa die mihi aliisque agendum

dum concedam : & nihilominus omnes cæteros dies, cultu etiam prorsus spirituali, ac religioso Deo consecrandos esse putem: ita ut quemadmodum opera servilia, utpote ex amore proprio à Judæis producta, per legem Dei detegebantur ac condemnabantur, ita opera libera vere Christianorum per Christi Spiritum & amorem facta, ab eodem sanctificentur, ac Deo grata esse omni tempore, declarentur: Occurrit mihi hic locus ille illustris Jesaiæ 58: 13. ubi de diei Sabbathi observatione tali loquitur propheta, qualis non nisi à regenitis præstari poterat; ad quem notandum, quod, postquam de conversione & Restitutione veri Israelis, post multas generationes oriundi, locutus erat versibus præcedentibus, spiritualem illius cultum ponit in abnegatione propriæ voluntatis, hisce verbis, *Si glorificaberis ipsum*, nempe diem Sabbathi, *non exercendo vias tuas, non præstando voluntatem tuam*, vel ut textum Originalem vertit Pagninus, *ut non facias vias tuas, neque inveniatur voluntas tua, ut loquaris secundum voluntatem tuam. Tunc delectaberis in Domino, &c.* Atqui Servator noster hanc sui ipsius ac propriæ voluntatis abnegationem, & crucis gestationem *singulis diebus* exigit à suis Discipulis; eoque cultus ille spiritualis, ac perennis Sabbathi totius vitæ nostræ cursu optime transigitur, cum verus Christianus voluntati suæ perpetuo renuncians, in viis Domini, ejusque voluntate delectatur.

VIII. Objicient forte præterea, quæstionem hic non tam esse de Sabbatho spirituali, ejusque cultu interno, nam & ipsis Judæis abnegatio sui ipsius procul dubio mandata fuit: sed de cultu

tu externo & publico, prima ſeptimanæ die Deo ſanctificando; & de rejiciendo omni opere (ut loquuntur) ſervili tota illa die juxta mandatum quarti præcepti? atq; ideo inquirent: Annon, eo ſenſu, quædam in priſtina mea ſententia mutaverim? Ad quæ candide reſpondeo: Omnino; ut è præcedentibus modo liquet. Nam cum mihi pedetentim aliquid lucis accederet, primo circa quæſtionem de differentia cultus Judaici & Chriſtiani. deinde circa mutationem ultimi, in primum ſeptimanæ diem, ita ut illam eſſe juris, aut exempli divini non amplius credere poſſem; oculos & animum ad argumenta aliorum Theologorum, quorum aliquos jam minime prophanos eſſe noveram, attollere cœpi, & inter alia, verba Calvini, Inſtit. lib. II. cap. 8. ſect. 34. (quæ veluti humani quid paſſa antea tranſilieram) cum aliquo aſſenſu legere incepi, quæ ut hic referam, nemo Reformatorum mihi vitio vertere debet, quia mea ſi eadem dicerent, quidam eorum ea quoque procul dubio tranſilirent, atque, etiam non lecta, condemnarent. Ea ſic leguntur loco jam indicato, ubi poſtquam dixerat, *ſic tamen ſeptenarium numerum non moror, ut ejus ſervituti Eccleſiam adſtringam*, poſtea ad Socratis Hiſtoriam lectorem mittens concludit, *ita evaneſcunt nugæ pſeudo-prophetarum, qui Judaica opinione populum ſuperioribus ſeculis imbuerunt, nihil aliud afferentes niſi abrogatum eſſe quod ceremoniale erat in hoc mandato --- remanere autem quod morale eſt, nempe unius diei obſervationem in hebdomade. Atqui id nihil aliud eſt, quam in Judæorum contumeliam diem mutare, diei ſanctitatem animo eandem*

dem

dem retinere Quibus animos ita mitigari velim, ut rationes, quas adductura sum, cur, magnam partem, sententiam Calvini amplexa sim, æquo animo librare possint. Dixi itaque mihi lumen pedetentim exortum, circa cultus Judaici, & Christiani differentiam; quam neminem Christianorum ignorare oportebat, cum certissimum sit, Populum istum externum ac servilem, quo ad integrum illud corpus, ex Ægypto eductum, & in deserto (excepto Josua & Caleb) mortuum, ideo à Deo electum fuisse, ut in eo ostenderet totius generis humani corruptionem; nimirum ejus à Deo, solo suo Domino & Benefactore defectionem, ad Diaboli servitum deflexionem, ac perpetuam ejus contra supremum Creatoris sui in creaturas dominium recalcitrationem, sive rebellionem. Quamobrem fœdus cum illo pepigit, quod illum irritum facturum non solum præsciebat, sed & per Servum suum Mosen prædixit, legesque illi servandas præscripsit, unde esset notitia peccati, quas nulla ratione poterant præstare, cum, ex vi atque virtute istius Fœderis, Spiritus Christi neque ipsis promitteretur, neq; concederetur; ut patet ex verbis Mosis: *Non dedit vobis Jehova mentem ad cognoscendum, nec oculos ad videndum, & aures ad audiendum, usque in hunc diem.* Atq; idem testabantur ipsorum facta, & perpetuæ fere murmurationes contra vias Domini, ejusque Servos Mosen & Aaronem, & liberationis eorum ex Ægypto contemtus. Exod. 5:21. Adeoque serviliter serviebant hominibus, ut non attenderent ad verba Dei Liberatoris. Sed his immorari non est mei pro-

positi, cum de isto gravissimo argumento plura exspectemus à nostris divinitus edoctis Doctoribus.

X. Illud vero mihi minime prætereundum, quod summus Legislator Judæo leges dederit in locum divini amoris, unde primus Homo, cum suis posteris decidit, ut in illis tanquam in speculo videret hominem in brutum ac diabolum esse conversum, quandoquidem necesse fuit ut tales externæ ac crassæ leges homini degeneri præscriberentur, ne crassissima, brutalia, ac Satanica peccata committeret, sc. idololatriæ horrendæ, ut præter unum verum Deum, alios stercoreos ne coleret; ne imagines ex ligno, lapidibus, & similibus exsculperet, coram quibus se incurvaret; ne Dei nomen in vanum sumeret; & certo alicui tempori se alligaret, ut suum opus (nam ex se & pro se operabatur, aut licite operari sibi visus est) & suam voluntatem sisteret, ac Dei opera Creatoris respiceret; nec in bestias, ac sua mancipia tyrannidem exerceret; & respectu proximi, ut superiores agnosceret, nec omnia gravissima flagitia committeret, homicidii, adulterii, furti, & falsi testimonii; & crassissimæ concupiscentiæ domus, uxoris, famuli, nec bovis aut asini: qualis revera Lex filiis Gratiæ N. Fœderis non est data.

XI. Deinde & hoc sciendum, quod Novi Fœderis fœderatis successerit Lex Spiritus, juxta doctrinam Apostoli, Rom. 8: 2, 6, & 15. *Lex Spiritus vitæ in Christo liberavit nos* (quotquot nempe in Christo sumus) *à lege peccati & mortis.* Et si quæ leges veræ Christianis à Christo propositæ sunt (ut revera Leges Christi dari, sine

Soci-

Socinianorum erroris patrocinio, ſuſtinemus cum S. Scriptura Gal. 6: 2. &c.) eæ magis rationem habent promiſſionum, vel prophetiarum, quod talia facient, quam rationem legis præcipientis ipſis impoſſibilia. Ex. gr. *Præceptum novum do vobis*, ait Salvator, *ut alii alios diligatis.* Joh 13: 34. quod adimplere omnes per Spiritum Chriſti facile poterant, quamvis eſſet medulla omnium legum.

XII. Sed inquiet forte aliquis: An igitur populum Judaicum ita carnalem atque externum fuiſſe ſtatuitis, ut tantum in argumentum corruptionis generis humani, & in exemplum vindictæ divinæ Juſtitiæ à Deo, inſtar Pharaonis, excitatus ſit? Reſpondeo minime ſecundum ejus primitias Patriarchas; nec quoad filios Spiritus Abrahami, qui erant pauciſſimi, reſpectu multitudinis filiorum ejus ſecundum carnem, nec quoad eorum reliquias, de quibus Apoſtolus Rom 9: 27. *Si fuerit numerus filiorum Iſraelis ut arena maris, reliquiæ ſervabuntur*; Sed quoad corpus illud univerſum populi iſtius Iſraelis ſc. carnalis, quorum corpora cecidere in deſerto, & de quibus Apoſtolus pronunciat 1. Cor. 10. *Pleroſque eorum non habuit gratos Deus*, quibus leges ſuas præſcripſit, ſed externas, *lapidibus* non *cordibus* inſcriptas. Libenter vero fatemur Iſraelem Dei, qui tempore Veteris Teſtamenti, gratiæ Fœderis fuere participes, Spiritum Chriſti, & fidem per ipſum obtinuiſſe, *eoque eodem modo quo nos, fuiſſe ſervatos*: non autem per legem, aut Fœdus, quod Deus cum ipſis eo die, quo eos duxit ex Ægypto, pepigerat, quotquot ſc. ad vitam æternam fuerant electi.

cti. Illi autem non tantum typi, ſed & pars fuere Eccleſiæ veræ Chriſtianæ.

XIII. Tenendum itaque, quod Populus ille, quatenus erat ſub Oeconomia illa externa, diverſimode, pro diverſo genere aut ſtatu perſonarum ac rerum, conſiderari poterat, vel qua externam inter ſe, ſive politicam, ſive Eccleſiaſticam, ſive naturalem habebat communionem; & typus erat Populi N. T.; vel qua ejus ſpiritualis & realis quædam pars erat. Etſi vero ipſi electi & Spiritu Chriſti donati ac regeniti illam componerent, ſub cultu tamen illo pædagogico ac ſervili, iiſdem legibus, quibus cæteri, adſtringebantur; ſed cum illo diſcrimine, quod Deus illis mentem dederat ad cognoſcendam ſpiritualitatem legum divinarum, & gratiam illas ſpirituali modo obſervandi, inter quas ſpiritualis etiam maxime illis erat Lex ceremonialis, quæ Myſterium Redemptionis per Sacrificia cæteraſque figuras adumbrabat: unde, ut dictum eſt, interne ad Eccleſiam N. T. ordinabantur, atque, quoad eſſentialia, ejuſdem privilegiis, & gratia fruebantur: alii vero fœderati fœderis tantum externi & legalis, ad internam quidem & ſpiritualem etiam obedientiam, ſub pœnæ æternæ damnationis denunciatione, tenebantur; ſed nemo eorum eam præſtabat. ut ex ſacra Hiſtoria notum eſt.

XIV. Hinc præterea, quaſi in tranſitu, hoc colligimus, quod in illo populo ad communionem ejus tam naturalem, quam Eccleſiaſticam, & Politicam ſufficiebat externa legum obſervatio; ita ut propter defectum cordis circumciſi, aut propter fidei ac caritatis abſentiam, ab illa

excludi non poterant, dummodo nati essent Israelitæ, atque externas illas leges implerent. nam tales à nulla communione Israelitica externa, ad quam ipsis fœdus illud Dei, cũ Abrahami posteris sancitum, jus dederat, arceri poterant. Non enim requirebatur nisi cultus ille externus, in ordine ad proximum, & ad scopum divinæ ordinationis assequendum, ut sc. Populus ille, cultusq; ejus externus, essent typus & typicus, sive umbra ac figura Christi, populique ac cultus N. T. uti & memoriale aliquod populi præcedentis, & illorum servitus in Ægypto servitutis Diaboli erat imago. Unde Judas Iscariot jus habebat ad manducationem Paschatis, uti Judæus qui memoriam exitus Israelis ex Ægypto celebrare tenebatur. Quoad ergo universale illud corpus, tandem post conversionem generalem Gentium filii Altissimi, vel Dei viventis vocari solum debebant Rom. 9: 26.

XV. Inde est quod Deus multa etiam externa isti populo externo vel indulsit, vel mandavit quæ non conveniunt populo, sive Ecclesiæ, ut recte loquar, N. Testamenti. Ex. gr. Illi concessit fœnera à peregrinis accipere, aut dare; homines emere, ac vendere, & sibi in mancipia assumere, iisque ferè, ut suis bestiis uti; & similia quæ lex Christiana non admittit. ut & propter duritiem illorum cordis libellos divortii dare uxoribus, quamvis Israeliticis atque bonis, ipsis permittebatur. quod veris Christianis nulla ratione convenit. Mandavit præterea Divina Sapientia quamplurima, nequid nunc dicam de ornatu illo externo in Templo, & vestibus Sacerdotum, de Organis, tympanis, cym-

cymbalis & ſimilibus, quæ ad Cultum Dei tunc referebantur. ſic & Mandata dedit quæ avaritiam & tyrannidem iſtius populi in ſervos & beſtias inhiberent. cujus rationem Deum etiam habuiſſe in 4°. Præcepto ipſa illius verba Sacra teſtantur. Quæ omnia ſponte à Caritate Chriſtiana moderantur, ac gubernantur.

XVI. Interrogabunt forte ulterius, an nulla igitur Decalogi erit religio, & nominatim quarti præcepti? Reſp. non literæ, ſed Spiritus habendam eſſe rationem, *Litera enim occidit, ſed Spiritus vivificat*, ut docet Apoſtolus, 2. Cor. 3: 6. atque eo ſenſu Lex, ut inſtrumentum veteris fœderis, iſti populo ſervili ac carnali, peculiari ac terribili modo tradita à Moyſe, ab Apoſtolo ibidem miniſtratio mortis & condemnationis vocatur; ideoque eam, ut in literis & in lapidibus informatam ſive inſcriptam, abrogandam fuiſſe diſertis verbis aſſerit ibidem. Spiritus autem, ut dixi, habenda eſt ratio, quia is ſolus infallibilis Legum Dei eſt interpres; & ii ſoli, qui à Spiritu Chriſti aguntur, ſunt filii Dei, quorum corda ab ipſo per fidem purgantur, eoque ipſis jam puris, omnia pura ac ſpiritualia fiunt; uti carnalibus & judaiſantibus omnia fiunt externa, ceremonialia, ac lethifera.

XVII. Statuendum itaque quod Judaico modo nulla Legum Dei obſervata ſit, nec obſervari ſalutariter poſſit, ſed per gratiam Fœderis gratiæ accidit, ut quidam, quales erant Sancti Prophetæ ſic nominati à Chriſto Luc. 13. fideles, qui & pauci præter Abrahamum, Iſaacum & Jacobum, de quorum primo Apoſtolus teſtatur,

quod ante datam legem de circumcisione fuerit justificatus, eoque Deo gratus, divinitatem legum Dei recte intellexerint, atque illis præstiterint veram obedientiam. Deus autem, inter alias rationes Judæis, qua Judæis, sive externe tantum fœderatis, unum hunc diem quasi eos exploraturus dedit: sicuti Adami & Evæ obedientiam in unius fructus abstinentia probare voluit. Christianorum verò est Spiritum Christi pro lege perfectissima, uti animam legum Dei, amplecti ac sequi, eoque in recentem illam ac certissimam introire (Jesaiæ 30: 21.) *viam, ubi vox à tergo auditur, dicentis, Hæc illa est via, incedite per eam.* de qua idem Propheta prædixit cap. 35: 9, 10., quod *via sanctitatis vocabitur, qua non transibit pollutus, sed erit istorum*, nempe sanctorum ac redemtorum Domini: *viator, ne stulti quidem poterunt deerrare.* Ubi Christi sc. Spiritus sic omnia, ut ita dicam, spiritualisat ac divinisat, ut corpus pariter ac anima, atque omnia præterea naturalia ac civilia 1. Cor. 10. ut ipsum edere, bibere &c. internaq; externaq; opera Christo dicata, omni tempore sanctificentur, eique sacrificentur. nec ulla à veris Christianis prodeat actio vel loquela irreligiosa, quæ voluntatem & amorem proprium sapiat, quæve perenni Christianorum Sabbatho sit indigna. Unde & juxta evidentissimam nostri Servatoris Doctrinam consequitur, fideles N. T. extra omnem limitationem cultus legalis, in libertatem assertos, nec amplius locis aut temporibus religiosis V. T. adstringi. Joh. 4.

XVIII. Sed ut quædam hic addam de Decem Præceptis, eoque de Quarto Præcepto, cum in

in illorum observatione non literæ, sed Spiritus *seu sensus spiritualis* rationem esse habendam dixerim, hujus Legis scopum uno verbo cum Apostolo complectar. nempe *Caritatis*, qua legem accompleri statuit 2. Tim. 1. & ad Gal. 5: 14. concludens Rom. 13: 10. *itaque Caritas est completio legis* non quod in illa lege Decem verborum *Caritatis* vocabulum, aut ipsa res clare exprimatur, nam ne verbulum quidem habet de caritate, (quod notatu non est indignum) sed eam tantummodo indicat per viam contrariam, qua hominem naturalem de odio & rebellione sua in Deum convincit, atque ex accidente istius pravitatis magis etiam rebellem efficit, dum illum per legem ad debitam illi obedientiam constringens, neglecti officii redarguit. Ita ut quidem inde discere Judæos omnes oportuit, solum Dei amorem hisce malis posse mederi: sed nemo tamen, nisi qui à Spiritu Christi edoctus sit, recte intellexit quid sit, & quid possit Caritas, seu amor Dei; & quomodo revera Christus eum, tanquam quandam maxime spiritualem Quintam essentiam, è Lege & Prophetis eduxerit, & ad unum illud verbum, *Diliges*, reduxerit Matth. 22: 37.

XIX. Ad Quartum vero Mandatum præcise quod attinet, non video quo jure quisquam pure esse morale statuat illud, quod per adventum Christi debuit aboleri, nempe septimi diei post creationem observatio, cujus solius mentionem atque obligationem continet. ut quem Deus proprie in memoriam creationis, & in signum aliquod peculiare inter Judæos ac reliquas gentes, erexerat, quo magis etiam ab illis sepa-

rerentur. Deinde incongruum plane videtur, cum omnium consensu Decalogus compendium sit omnium Dei legum, Ceremonialem inde excludi, præsertim cum Deus ceremoniarum præcipuas, nempe Sacrificia, voluerit illa die, quam solam in quarto Præcepto indicavit sanctificandam, duplicari. Denique nunquam mihi satis validæ visæ sunt rationes, quibus hoc mandatum, cum mutatione ultimi septimanæ diei in primum, consistere posse probari solet. Nec magis istæ, quibus hanc mutationem Apostolis tribuendam esse à pluribus urgebatur, cum S. Paulus observationem dierum ac temporum reprehendens, nunquam unius hujus primi diei septimanæ mentionem faciat: & quanquam alibi sermo incidat de aliquo fidelium in illa die conventu; isti tamen, ut totam diem occupasse non dicuntur, ita illos non omnia opera externa excludere certum est. & potius ultimæ septimanæ diei neglectum & abolitionem, quam primi substitutionem indicat. Alioqui cui probabile fiat, si tam insignis incidisset eo tempore circa Dei cultum immutatio, quæ septimam partem vitæ Christianorum cum Judæis peculiaribus differentiis dierum involveret, Apostolum nullam adhibituram fuisse exceptionem, cum gravissimis etiam obtestationibus Galatas aggrederetur hisce verbis: *Dies observatis, ac menses, & præstituta tempora, & annos: metuo de vobis, ne frustra apud vos laboraverim.* Gal. 4: 10, &c. Quo etiam referri debet locus illustris ad Rom. 14. 2. ubi infirmis Christianis tribuit, quod illo tempore (quodammodo adhuc intermedio) differentiam ponebant *in cibis & diebus*, cum jam

jam in animo ſuo debuiſſent eſſe certi, Chriſtum ejuſq; Spiritum ſuos ab iſto jugo atq; externarũ rerum literali diſcrimine liberaſſe. Quibuſcum porro convenit textus Col. 2: 16. ubi ſine ulla limitatione, Sabbatha perinde ac novilunia, & feſta, cibique & potus differentias, veluti *umbram rerum futurarum*, *cujus Corpus eſt Chriſtus*, à cultu N. T. plane removet.

XX. Ac reipſa Sol ille Juſtitiæ, qui omnem umbram fugavit, nullo tempore aut loco occidit, aut dies æquales & inæquales per ſua ſolſtitia facit; aut annuales recurſus Feſtorum in mundum reducit. Et Creator ille novi Cœli ac terræ Jeſus Judæis, qui nimis literaliter exemplo Creatoris inhærebant, illud viſibilis & quaſi externæ ceſſationis Exemplum, ab opere ſex dierum deſumtum, ſuſtuliſſe videtur, eos inſtruens, *quod Pater, & ipſe quoque quotidie operabatur.* cum ſanaſſet paralyticum, eumque lectum portare die Sabbathi juſſiſſet. Itaque, ut Calvini verbis utar, *perpetuum tota vita Sabbatiſmum meditemur, à noſtris operibus, quo Dominus in nobis per ſuum Spiritum operetur.*

XXI. Maxime urgebat unus ex primariis Ultrajectenſibus Theologis hoc argumentum, ex vi doctrinæ diviſionis deſumtum: Quod quia Lex Dei triplex erat in V. T. Politica ſc., Ceremonialis, ac moralis, ſive Caritatis, quarum ultima continebatur Decalogo, qui ipſa manu Dei, lapideis ac durabilibus tabulis erat inſcriptus, eoque æternum duraturus, abſurdiſſimum fore, ſiquis ceremoniale quid in illa lege caritatis ſive morali admitteret. non minus ac ſiquis animal diviſiſſet in rationale ac brutum, iterum

rationale divideret in rationale ac brutum. Sed quis non videt, quam multa hic controversa, tanquam concessa præsupponantur? Quis enim probabit legem lapideam, quam divina Providentia ante adventum Christi perire voluit, æternum esse duraturam? Et quis merito ex lege Politica excludet Legem Caritatis? Et cur non meliore jure dicemus, Decalogum, quo Deus populo Judaico, tam singulari ac solenni modo, suam voluntatem denunciavit, compendium esse (ut supra indicavi) omnium cæterarum legum Judaicarum, pari obedientia tunc temporis observandarum: Eoque quartum Præceptum mittere Judæum ad leges particulares ceremoniarum, ac Sacrificiorum; quæ Deus duplicari septimo die mandabat; quemadmodum quintum, & reliqua Mandata secundæ Tabulæ manifeste ad leges Politicas eos remittebant. Fateor quidem eundem celebrem Theologum multum de suo fervore, respectu totius illius controversiæ de Sabbatho pedetentim remisisse; nec semel tantum mihi dixisse: Si ceremoniale quid in Quarto Mandato esset concedendum, præstare ut alio die subinde peragеretur cultus publicus, quo suam libertatem, respectu jugi ceremonialis, ipso facto testarentur Christiani: sed unum interim magnopere in eo desiderabam, ut sententiam suam meliorẽ, quã de eliminandis diebus Festis è Christianorum libero cultu, tuebatur, exemplo suo & opere, perinde ac doctrina sua comprobasset. Nec solum suis concionibus, quas (ordinis sc. & pacis communis causa) habere istis diebus constringebatur; sed & sine urgente metu turbationis ordinis

nis, audiendis constanter aliorum concionibus, confirmasset. Quæ cum Theologis Scoticis offendiculo fuisse memini (quia sc. Festorum observatio humani tantum ordinis est hoc tempore Evangelico) non possum quin, hac occasione, eos in nomine Domini obtester, ut serio pensitent quomodo illi, qui ab Ordine, etiam in Ecclesiis constituto, tantopere abhorrent, asserere tamen non dubitent, ordinis causa Pastores posse irregenitis, & etiam scandalosis sacra Sigilla Novi Fœderis, quæ revera non nisi Novi Fœderis fœderatis atque interne & externe renovatis conveniunt, salvâ conscientia distribuere: ac de iisdem Christianæ communionis atque unionis S. Symbolis cum illis esse participes. Si sc. Synedrium (vulgo Consistorium) non judicet, statuat, ac mandet illorum ab his Sacris exclusionem. Videant, rogo, an Deus, ordinis sui Deus, Auctor sit talis ordinis, quem videmus hodie mandatum Christi de non dando Sanctum canibus, aut porcis (quales reipsa sunt irregeniti omnes, Christi sanguine & Spiritu non purgati, & eorum consensu saltem scandalosi) evertere, atque Ecclesiam seu Templum Dei, in stabulum pecudum convertere. Siquis ad hæc respondeat, hunc sermonem esse durum; nec seculum nostrum hæc ferre posse. Regeram eum tamen esse verissimum. nec à sententia Religionis Reformatæ Confessorum reipsa differre; nisi nunc trinum erigere velint regnum, nempe unum inter Regnum Dei, & regnum Satanæ intermedium: tametsi in praxi, nescio sub qua humanitatis sive comitatis specie, mundanos, in primis si vel dignitate vel donis sive

natu-

naturalibus, ſive acquiſitis inter alios emineant, pro irregenitis ſalutare non audeant. Et quaſi communis ſuæ Theologiæ, de univerſali generis humani corruptione eſſent obliti; ac ſenſu potius naturali, quam Spiritu Chriſti, qui mundum de peccato ſuo redarguit, ducerentur, excogitanda ſibi media & verba crederent, quibus ſe illorum communionem nullibi averſari teſtentur. Cum tamen blandiora verba hic dulce aliquod toxicum ſint, quod præſens habet venenum; & admiſſio eorum ad communionem Sacramentorum N. F. illos in ignorantia ſui ſtatus, ac dignitatis Myſteriorum Chriſti, quæ certe ineffabilis eſt, miſere ac crudeliter detineat.

XXII. Sed illud interim liberum ac fidele mihi ipſi reddam teſtimonium, quod ab omnibus iſtis inventis humanis & conſtitutionibus, primitivæ Eccleſiæ ignotis, tanquam in Cultu divino periculoſis abhorruerim conſtanter. Et ubique perniciosum amorem creaturæ, quo independentiam à Deo, ejusque ſuprema voluntate ac regimine, inſenſibili ſæpe modo, affectat, extimeſcendum eſſe crediderim ſemper. Verum in illa praxi circa libertatem Chriſtianam, & differentiam veteris illius Populi, & Eccleſiæ Chriſti œconomiam, me variis modis cœcutiviſſe, cum aliis, video; cum unusquisque fere literaliter ac carnaliter tum leges, tum exempla veterum Iſraelitarum hodie ſibi promiſcue applicaret. Et quamvis opera ſervilia, quæ non ex objecti materia, ſed tantum ex ſubjecti concupiſcentia & à ſpiritu ſervitutis ſervilia ſunt dicenda, Chriſtianis liberis non conveniant, ta-

tamen iis se uti posse, sex diebus dictis operariis, ad cumulandum sibi, suisque thesauros, uno quasi contextu statuerent, quia Abraham & quidam alii Sancti, sub dispensatione V. T. fuere divites, nec ob hoc minus Deo grati. cui sententiæ confirmandæ Apostoli dictum, non minus male intellectum, adducere non dubitarent, cum Ethnicis & infidelibus deteriorem esse dixit eum, *qui domui suæ non præest*, id est, juxta illorum glossam, qui divitias suæ domui non comparat, per suum studium & industriam, hoc scilicet tempore, quo paupertas summa miseria atque infamia est: obliti sc. Divitias Patriarcharum fuisse typos rerum spiritualium; & gloriosissimi status Christianorum, ac per corporalia & prospera fuisse præfigurata, quæ non nisi in Christo, ejusque vivis ac veris membris, & quidem præcipue tempore gloriosi ac pleni ejus regni subditis adimpleri, eoque applicari debent. Nec memores exempli Abrahami, quo Christianis eximiæ Fidei, & Abnegationis omnium rerum exhibet exemplum, cum patriam, parentes, & omnem suam rationem abnegavit, nesciens quo, aut qua iturus esset, cum Deum vocantem sequeretur. Sed nunc tandem pro comperto habeo, non convenire legalia nec typica Christianis; nosque pueriliter, serviliterque, ac prorsus superstitiose hoc tempore acturos, si scopo S. Scripturæ ac Spiritus S. relicto, ad illā veteris legis ac literæ pædagogiam reverteremur. Nec Novi Fœderis jure ac virtute frueremur omnes, quotquot ejus per Divinam gratiam participes sumus. *Ad libertatem vocati estis Fratres*, inquit Apostolus,

tam-

tantum ne libertatem arripite, ut datam carni occasionem. sed ex charitate servite alii aliis. At Charitas lege certior dux est, & ut hoc Poetæ Christiani verbis exprimam

Quis legem det amantibus?
Major lex amor est sibi.

Charitas enim juxta Apostoli assertionem, *peccare non potest*, & Christiani cum eodem S. Paulo, *per gratiam legi mortui sunt, ut Deo viverent.* atque *Amor Christi constringit illos, ut non sibi, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, vivant, ipsi sc. cum ipso mortui, & resuscitati.*

XXIII. Ut autem de hoc Argumento plene ac plane mentem meam explicem: Deo vivere hoc tempore correctionis, est vivere convenienter ejus spirituali & divinæ naturæ, cujus suos electos omnes suo tempore in terris participes facit; unde fit, ut eorum conversatio sit in cœlis, ac cœlestia quærant & agant: tunc etiam cum terrena juxta Dei voluntatem, pro Deo, ad ejus gloriam, & ex principio fidei & Spiritus Christi agunt, id est uno verbo, ex Caritate. Item Christo vivere, est juxta Spiritum libertatis N. Testamenti vivere, extra & supra omnes istas legales & scrupulosas differentias, atque rerum externarum circumstantias, secundum axiomata ab ipso Salvatore nostro prolata. in colloquio suo cum fœmina Samaritana, cui tempus advenisse dicebat, *quo neque in illo monte, neque Hierosolymis adorandus esset Pater*, cujus fundamentum in gloriosissima ac spirituali Dei natura ponebat. illam juxta divinum suum modum docendi sic exprimens, *Deus est Spiritus, & qui adorant eum, oportet ut Spiritu & veritate adorent.*

sub

ſub adoratione (quod omnibus notum eſt) metonymice omnem Dei cultum comprehendens. Unde facilè colligimus, Spiritum Chriſti ac Caritatem loco omnium legum eſſe; eaque omni tempore & loco eſſe agenda, quæ nos maxime ſpiritualiter & realiter cum Deo noſtro uniunt, ſive illa ſint opera externa, ſive interna, per divinam voluntatem & providentiam nobis oblata. Media enim recte dicuntur participare de excellentia ſui Finis; addo etiam de excellentia principii, unde manant.

XXIV. Objiciet porro aliquis, concedens illud non eſſe obſcurum majorem menſuram Spiritus Sancti & gratiam promiſſam eſſe Eccleſiæ Novi, quam populo veteris Teſtamenti; & Judæis, ut Judæis, non fuiſſe leges, niſi ad cognitionem peccati, & quaſi compedes datas, ne omnes ſcilicet lineas tranſilirent: eoque illos, qua tales, Deum non amaſſe, quia lex quæ ſpiritualis eſt, reſpectu carnalium operatur iram; imo dubitandum non eſſe Spiritum Chriſti, ſi in corda hominum, aliqua cum copia effunderetur, fore ut omnium legum vicem facile adimpleret: Sed nuſquam hanc gratiam intelligentiæ atque amoris Dei Legis, hoc tempore inter Chriſtianos, cum aliquo abundantiæ gradu reperiri, nec Spiritum Chriſti vires & aptitudinem exercendi virtutes vere Chriſtianas cuiquam larga manu largiri. Ad quæ optima cum ratione reſponderi poteſt, quod tamen promiſſiones & prophetiæ divinæ non poſſunt fallere, quæ ſunt evidentiſſimæ juxta ac certiſſimæ, ac numero pene innumeræ. Ex. gr. Jer. 31: 31. &c. Ez. 11; 19, 20. item 36:

27.

27. aliæque quamplurimæ; quo respexit Apostolus Heb 8: 9. & alibi, ubi illa privilegia N. Testamenti pollicetur fœderatis, quod *recipient cor illud unum, & Spiritum novum, cujus virtute in statutis Dei ambulabunt, ejusque jura observabunt, & facient.* Eminet autem inter omnes illa Prophetæ Joelis, cap. 2: 28. ad quam Apostolus Petrus, cum illius adimpletionis initium in se sentiret, die Pentecostes nomine cæterorum provocavit, quando à prophanis irrideretur opus Spiritus Dei. Ubi non solum Apostolis, sed omnibus fœderatis, ipsisque filiabus & ancillis Dei eundem Spiritum S. promissum, & quidem instar fluminis aquæ vivæ à Salvatore Joh. 7 sub metaphora effusionis, illius abundantiam repræsentatam videmus. Unde convincendi sunt erroris & perversitatis, quotquot hodie Spiritum Sanctum JEsu Christi, quem Christus suis fidelibus & discipulis promisit Joh. 16: 13. ac misit Act. 2. post suam resurrectionem, primis N. T. seculis audacter terminant, ac Spiritum veritatis solis Apostolis datum contendunt: quia sc. illis solis in omnem veritatem illo viæ Duce duci, quo essent infallibiles, necesse fuit. Sed optime hanc litem dirimit Apostolus Rom. 8: 14. cum *omnes filios Dei, Spiritu agi* asserit. imo *neminem esse Christi, nisi qui Spiritum Christi habeat*, in confesso ponat. quæ veritas, quo minus nota est hodie, eo magis urgeri debet. Sic enim argumentatur, *Si spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis*: at vos (ita subsumendum) actiones corporis mortificatis, ergo vivitis Spiritu; nisi fortassis Spiritu efficiendam mortificationem & vivi-

vivificationem convenire Christianis hujus temporis negemus, contra mentem & dicta frequentissima ejusdem Apostoli, qui non tantum mortem & vitam, sed & actiones vitales in omnibus Christianis exigit, illos ad eas excitans, *Si Spiritu vivitis, Spiritu ambulate*; imo asserens aperte; *Quotquot enim Spiritu Dei ducuntur* (ἄγονται) *ii sunt Filii Dei.* Et præterea ibidem: *Si quis Spiritum Christi non habet, non est ejus.* Si vero aliquis hic se, aliosve fallere velit, excipiens, hæc tantum de donis Spiritus ordinariis esse intelligenda. nempe de fide ac caritate omnibus communi: non autem de ipsa Persona divina S. Spiritus, is noxam sui erroris aliquando deprehendet. Nec enim est ut quis sibi persuadeat, ut quidam hoc tempore solent, homini sufficere Scripta infallibilia Evangelistarum atque Apostolorum ad vitam cœlestem in terris degendam, quia sc. vel in V. Testamento Scripta divinitus inspirata *Lex*, & *lux* fuere Judæis. Nam summo jure negamus, ullo Judæorum, qui illud lumen in lumine Dei, & interna illuminatione Spiritus S. ejusque applicatione non vidit, fuisse lumen omnisufficiens, & ducem vitæ salutarem: præterea eodem jure negamus, etiam hoc tempore, Scripta Sacra jam Evangelicis aucta, vel ipsis regenitis, sine perpetuo ductu, & præsenti operatione Spiritus S. sufficere ad vivificandos singulos veræ fidei ac charitatis actus; ut ut ordinarii sint dicendi: cum singula momenta vitæ supernaturalis, ejusque actus omnes ab eodem primo Motore, ut & Novæ Creaturæ Creatore, tum quo ad illorum initium & progressum, tum quo ad illorum activitatem de-

dependeant. Quæ omnia juxta Doctrinam Catecheseos Heidelbergensis Quæst. 53. assero. & juxta firmissimas nostri Salvatoris promissiones, Joh. 14: 15, 16, 17. *Si diligitis me, præcepta mea servate. Ego vero rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest recipere, quia non conspicit eum, nec novit eum. vos autem nostis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit.* quæ siquis ad solos Apostolos restringere velit, eadem opera evicerit, solos Apostolos opus habuisse hoc Advocato. Solos debuisse JESUM dicere Dominum. 1. Cor. 12: 3. eosque solos fuisse Templa Spiritus Sancti. contra doctrinam Apostoli 1 Cor. 6. Denique cum *ejus primitias tantum acceperint filii Dei*, tempore Apostolorum, Rom. 8: 23. ejus messem abundantiorem tempore eorum plenioris restitutionis exinde exspectant.

XXV. Si quis instet, nusquam tamen hisce diebus conspici talem gratiam, atque abundantiam Spiritus sancti; non est quod reponam, nisi tempus istius beatitudinis ac gloriæ Christi Sponsæ nondum advenisse; sed potius tempora illa Noe, quo Mundus suis voluptatibus ac voluntatibus immersus, diluvio iræ ac judiciorum Dei brevi forte immergendus est, quæ ipse noster Salvator futura prædixit; & quibus se ad renovationem omnium rerum venturum, vix fidem in terris inventurum pranunciavit. Præterea hoc addam, magis particulare, quod vilipendium divinissimarum veritatum, ac contristatio Sp. Sancti, ut cum Apostolo loquar, hanc immissionem efficaciæ erroris suo merito attraxerit

rit

rit, & ſinceræ ac ſolidæ pietatis neglectus, cujus vix μόρφωσιν retinuit noſtra ætas, ſeceſſum totalem ipſius Spiritus Gratiæ, atque ejus ſalutaris quaſi manuductionis promeritus ſit. Maxime vero hac tempeſtate, qua nemo fere Theologorum neceſſitatem Gratiæ & ductionis Spiritus Chriſti fortiter ac perſpicue ſatis doceat & urgeat. Cujus minime obſcurum argumentum nobis etiam præbuere Doctores (alias in refutandis Erroribus vigilantiſſimi) quando Scripto quodam pernicioſo, atque in Spiritum S. injurioſo, Philoſophiæ, ac rationi humanæ Imperium in explicanda S. Scriptura profane deferebatur, quod nemo, inquam, eorum cum vero zelo gloriæ Dei arma contra illud ſumere aggreſſus ſit, aut certe nemo Scriptum ejusdem fere commatis Concionatoris Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Ultrajectinæ ſerio examinarit, multo minus fortiter refutarit, niſi poſtquam tergiverſationem ac cauſæ Dei proditionem, indicaſſent *Dominus de la Badie & D. Petrus Yvon*, tunc Paſtores Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Medioburgenſis; qui ſimul cum univerſo eorum Synedrio, quaſi claſſicum canentes, vix cæteros veluti in utramque, quod dicitur, aurem dormientes excitavere. Anne hoc, obſecro, deteſtandum noſtri ſeculi teporem arguit, & Spiritus S. qui innumeris S. Paginæ locis ſub Symbolo aut ſimilitudine ignis aut præfiguratus, aut præſens indicatus eſt, quod ad igneas ac pertendentes ejus operationes, totalem pene ſeceſſum demonſtrat.

XXVI. Sed meliora nos ſperare jubet Divina Clementia, quæ certe quosdam gloriæ Spiritus Chriſti Amatores inter nos excitavit, quos ad

imitationem primitivæ Ecclesiæ Antistitum format, per eundem Spiritum, qui solus veros Episcopos constituit Act. 20. ita ut Antecessorum traditioni, & consuetudini humanæ, non nimis serviliter inhæreant. *Non enim acceperunt Spiritum servitutis rursum ad metum. Sed acceperunt Spiritum adoptionis, per quem clamant Abba Pater.* Ideoque non sunt sub lege servili; ut testatur Apostolus: *Quod si Spiritu ducimini, non estis sub lege.* Hinc cum eodem Apostolo statuimus 1. Tim. 1:9. *Justo non esse positam legem.* Justo, nempe per Christi satisfactionem, & merita justificato; & per ejus Spiritum adoptato, mortificato & vivificato. Caritas enim Dei, quæ per ejus Spiritum in corda suorum infunditur, omne periculum abusus libertatis prævenit. Illa enim, cum anima ac principium sit omnium actionum Christianarum, non sinit ut non Deo suo, & Jesu Christo serviant omnia, & omni tempore, cultu intensissimo. *Nihil enim agit perperam aut indecore*, ut ait Apostolus; sed concupiscentiam, cujus venenum est, & unde omnis confusio & dissolutio oritur, extinguit. Adeoque suum non quærens, dat Cæsari quod Cæsaris est, & Deo quod Dei est. Ad Deum itaque quod attinet, optime norunt omnes qui diligunt Deum, & aliqua ratione ab eo edocti sunt, infinitam ejus dignitatem, perfectionem atque amabilitatem requirere ac mereri, ut illum adorent indesinenter, ament omni tempore intensissime, ex toto sc. corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus suis. Et revera æternitas, ad quam refertur tempus illimitatum N. T., non admittit ipsius cultus aut a-

mo-

moris intermiſſionem. nosque novæ creaturæ eſſe deſineremus, niſi Lex caritatis nobis perpetuo imperaret. Et quia talis eſt Deus noſter, qui ſine abnegatione ſui ipſius, quam Deo impoſſibilem eſſe aſſerit Apoſtolus, non poteſt novæ creaturæ dare aut concedere, independentem eſſe à ſuo Dominio, & ut pro alio quam pro ſe, ſuaque Gloria operetur, non eſt Chriſtiani hominis de ſuo ardore quærendi ſolam Dei gloriam, ullo tempore quicquam remittere.

XXVII. Hæc autem eſt præſtantia Chriſtianorum, quam Judæos, qua Judæos, conſecutos negamus, ut iſta non tantum ſint eorum officii, ſed & eorum ſtatus, eorumque gratiæ conformia; & cum ſint regeniti atque ex Deo nati, teſtante S. Joanne non poſſint (qua Chriſtiani) peccare, nec pro ſe quicquam, ſed pro Deo ſuo omnia agere. Et procul dubio Adam æquabiliter, & conformiter divinæ voluntati Deum colebat, quamdiu perſtitit in ſtatu innocentiæ; ad cujus reſtitutionem gratia N. Fœderis perpetuo tendit. nec in vanum; juxta prophetias, Jer. 30: 21, 22. ubi poſtquam de Dominatore & Sponſore J. C. locutus erat, Jehovam porro loquentem inducit, *denique eritis mihi populus, & ego vobis ero Deus.* atque Ez. 36: 27. & *dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri, & amovens cor lapideum è carne veſtra, indam vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio veſtri, quo faciam ut in ſtatutis meis ambuletis, & jura mea obſervetis, facientes ea.* Certe quando Deus alicujus Deus eſſe dicitur, juxta Fœdus Gratiæ, omnia optima de eo ejusque ſtatu dicta ſunt. Nam fieri nequit quin

divinæ ejus naturæ fiat particeps; & nova fiat creatura, quæ Dei imaginem præ se ferat. Deus autem quamvis fideles sub V. Dispensatione sui cultus infantes esse voluit, noluit tamen illos in statu ejusmodi infantiæ manere, qui liberos servis quodammodo æquabat: sed differentias illas externas auferens, eos magis similes reddere vult sibi, qui nullas in se habet differentias; sed in eo omnia Unum & unitas sunt. Et uti ipse *Caritas ipsa* est, ita nos filios pacis & caritatis esse vult, qui ad omnia tam corporalia quam spiritualia opera, idq; omni tempore, eundem gradum summi amoris & caritatis afferamus, quo simus sancti, quemadmodum Pater noster sanctus est.

XXVIII Porro ejus cultum optimum in quibusdam singularibus actibus, qui extrinsece magis spirituales videri possint, constituere non oportet; sed potius in peculiari Dei præsentia, & gratia ejus divina, atque in majori praxi fidei & caritatis, eoque in ardentiori glorificatione Dei, ejusque Essentiæ, perfectionis, & operum, atque illius veritatum & mysteriorum cognitione & adoratione. Unde Christiani paululum in Christianismo promoti, ut supra attigi, naturalia faciunt supernaturaliter, corporalia spiritualiter, humana divine, atque externa per Spiritum internum, semper uniti Deo, in ejus præsentia & amore permanentes. Ita ut minus à mediis pendeant, Deus enim semper manet Dominus suorum donorum, ac communicationis suæ gratiæ; & perinde pér corporalia & externa exercitia, dona fidei & amoris communicat, quam per simplicem observationem

&

& contemplationem spiritualium, quamvis diversa sint, quæ apta nata videntur, ut nos magis, quam alia ad Deum attollant, quæ omnia juxta voluntatem Dei agi & sumi debent.

XXIX. Illud vero pro certissimo habendum, eos quibus omnia non fiunt media unionis Dei, parum habere gratiæ Spiritus Dei; siquidem hoc non evenit ex rerum ipsarum defectu, quæ omnes bonæ sunt: nam si quædam creata ad communionem divinam augendam non essent idonea, non essent per se bona; & sic Deus constitueretur auctor peccati. Itaque statuendum, ordinaria etiam opera Christianorum, quibus vitam suam sustentant, non esse opera concupiscentiæ, modo operentur ut Christiani: sed opera puri amoris Dei, quia Deus vult ut se sustentent, eoq; pro se agant, ac si agerent pro alio, imo pro Christo, cujus membra sunt; ita ut eorum opera, sic considerata, hominem non contaminent, nec ullum diem prophanent: cum è contrario eum sanctificent, & illi media sint ad Deo serviendum, ipsum glorificandum, & ad amorem ipsi testificandum; dummodo per Christi Spiritum agant, & beneplacito Dei actiones illæ terminentur. Sed si quis aliqua ratione ex concupiscentia, (ut passim mercatores suas merces vendunt, & opifices ipsi, cum vitæ etiam suæ sustentandæ necessaria sibi comparare student) per amorem aut sui, aut creaturæ, extra Deum consideratæ, id est, ex alio amore, quam eo quo Deum ipsum amat, agat; is peccat, quocunque tempore aut die agat & operetur, quemadmodum amor Dei, qui ab ipso venit, & ad illum revertitur, & omnia secum ad De-

um reverti facit, non peccat, ſed ipſi omni die perinde gratus eſt. Theologorum certe nemo non concedit, etiam die Sabbathi opera, quamvis externa & manuaria, ſi ſint caritatis & neceſſitatis, eſſe licita: at nil aliud & nos nobis concedimus, modo caritatis eſſe ſciamus omnia, ut dictum eſt, quæ pro Chriſto & Chriſtianis ex caritate fiunt; & illa neceſſitatis eſſe credamus, quæ voluntas Dei nobis occurrere, ut ſibi grata, facit. Memini unum ex præſtantioribus Theologis Ultrajectenſibus dicere, quo differentiam inter ſanctificationem Sabbathi Judæorum & Chriſtianorum ſtatueret, quod illorum dies Sabbathi ſanctificabat ipſorum operas: horum vero operæ ſanctificent diem Sabbathi noſtri; quod ſi de una die verum eſt, cur non de omnibus Chriſtianorum diebus idem verum erit?

XXX. Non me fugiunt reliquæ objectiones Theologorum, quibus perpetuitas hujus cultus Judaici, ex vi Quarti Præcepti, imo & auctoritate Chriſti, vel ſaltem Apoſtolorum urgeri ſolet; ſed nullum alicujus ponderis mihi viſum eſt, niſi iſtud, quod fugam difficilem futuram die Sabbathi, annuiſſe videtur Salvator tempore deſtructionis urbis Hieroſolymæ, quæ quadraginta circiter annis poſt Chriſti reſurrectionem, eoque poſt legum ceremonialium abolitionem incidere debebat. Quem ſcrupulum inter alios mihi exemit inſignis Theologus Theodatus, qui in ſuis ad Biblia Notis oſtendit, quod in hoc Textu Servator loquatur coram Apoſtolis, omnibus incolis Judææ, ubi tunc temporis adhuc eſſent obſervandæ ceremoniæ,

&

& quod de nullo alio, quam de Judaico Sabbatho verba faciat. Et quidni? cum nuſquam in S. Scriptura, multo minus ante Chriſti mortem aut reſurrectionem, primus ſeptimanæ dies Sabbathum nominetur. Nota eſt & communiter recepta ſententia Theologorum, qua leges ceremoniales mortuas quidem cum morte Chriſti ſtatuunt, non autem, niſi poſt deſtructum Templum, cui cæteræ ceremoniæ adhærebant, honeſte ſepultas fuiſſe; eoque uſque in illum diem illorum obſervationem quidem mortuam, non tamen lethiferam fuiſſe concludunt: quia ſc. debuit Templum Legesque cœlitus inſtitutæ, cœlitus quoque aboleri ipſo facto.

XXXI. Et ne nihil retineam eorum, quæ animo complector de hac materia, per varias controverſias intricata, quis credat Adamum in ſtatu innocentiæ minus Deo unitum fuiſſe, cum hortum Eden coleret, quam cum per meram contemplationem Deum in cæteris creaturis intueretur? Aut quis affirmare audeat, Salvatorem noſtrum minus religioſe egiſſe, cum in vita privata triginta annorum ſpatio, artem mechanicam exerceret, quam cum poſtea diebus Sabbathi (quibus ſe aliqua ratione ejus legi ſubjicere viſus eſt) in vita publica conciones haberet, ac miracula patraret? vel ut exemplo magis familiari utar, quis ſtatuere auſit, Apoſtolum minus ſpiritualiter & ſancte omne tempus ſuum tranſegiſſe, cum tentoria conficeret, ut Chriſti, ejuſque Miniſterii gloriam tueretur, contra ejuſdem exploratores & obtrectatores; quam cum Evangelium Chriſti annunciaret? Denique nec quiſquam, puto, negabit, optime

ad Dei cultum referri, si quis Christo sitienti frigidam, non sine labore è profundo puteo haustam, die Sabbathi ministrasset: quod sibi factum reputat benignus noster Salvator, cum suis fidelibus præstatur. Quæ omnia arguunt, actiones Christianorum non tam ex materia earum, quam ex forma, principio, ac fine æstimandas esse. neque eas, quas illorum manus exsequuntur, pro prophanis esse habendas.

XXXII. Unica objectio alicujus momenti superesse videtur, quod nisi lege & auctoritate Divina cohibeatur hujus ævi populus profanus, fore ut omnem tandem Dei cultum tam externum quam internum negligant, ac Turcis vivant Turciores, ut hic *Doctoris Martini Lutheri* verbis utar. Cui respondeo *primo*, me nulla ratione hæc Christianorum jura sive privilegia mundo aut mundanis largiri. *Secundo* me non morari, si populo hujus seculi imponantur sive à Politicis sive ab Ecclesiasticis illius Ducibus juga, tam antiqua quam nova, ad refrœnandam ejus dissolutionem, vel alendam superstitionem. Nam Ecclesia Christiana non judicat extraneos. nec ego, vel Ecclesia nostra nos publicis curis implicare ulla ratione desideramus.

XXXIII. *Postremo* aliquis hic inquirere possit: Si Sabbatha vultis esse perpetua & contigua, unde suis familiis providebunt patresfamilias? & unde vectigalia desument subditi, Magistratui persolvenda? Respondere ad hæc, ex modo dictis, facile est, corporalia ac manuaria opera non esse negligenda, sed omni tempore esse sanctificanda. Tametsi vero Christianis serviliter adhærere externo operi non conveniat, &, Deo

eos

eos movente, ac trahente ad ceſſationem operum, vel per ſuam providentiam eos vocante ad cultum publicum, libere & ſapienter ſequi debeant omni tempore; tamen omnem diligentiam & fidelitatem operi adhibendam eſſe credimus, quo noſtrum panem comedamus: & Deo demus quod Dei eſt, & Cæſari quod Cæſaris eſt. Atque pene incredibile eſt, quam egregio ordine, quanta facilitate, & alacritate etiam graviora ac moleſtiſſima opera, inter noſtros procedant, cum Caritas illa Chriſtiana, quæ ſua non quærit, omnia moderetur ac facilitet. Et per ſingularem Dei benedictionem efficitur, ut noſtri plus ſæpe operis uno die, quam ejusdem numeri operarii mercenarii tribus aut quatuor conficiant: quando autem de novo quidam adveniunt, qui nondum hanc libertatem Chriſtianam intelligunt, nec ſatis ſpiritualiter & ſancte externa cum internis jungere queunt, illis non injicitur laqueus, ſed illorum imbecillitatem placide ferimus, ſi alias Deum ſincere quærant, donec ipſis quoque eadem revelet. Hæc illa ſunt, quæ mihi de hoc argumento hic proponenda eſſe duxi ad bonorum, uti confido, ædificationem.

XXXIV. Pauca appendicis inſtar hic mihi de quodam concionum abuſu, quem pro optimo uſu habere ſolemus, adjiciam, quod illas non tantum memoriæ cum magno ſtudio, ſed & chartæ, quæ deinde illi labanti ſuccurrat, imprimendas eſſe paſſim credidimus, quo ſcilicet deinde per earundem repetitionem duplicem ex iis reciperemus fructum. Sed illud ſtudium valde literale eſſe, & Judaicum quid deprehen-

di

di, quibus præcipiebatur, ut memoriales ſcedas ampliarent, quia carebant eo Spiritu, quem Chriſtus ſuis diſcipulis promiſit, qui ſuo tempore, & rerum occaſione illos memores facturus erat verborum ſuorum. Optimam autem audiendi verbum Dei methodum eſſe comperio, audita & in corde recepta ac cuſtodita tacite ac fideliter fovere, atque eorum applicationem, non cum magno noſtro conatu, ſtatis temporibus recurrentibus, quærere; ſed à divina gratia & providentia humiliter exſpectare. Omnibus placere dicas illud dictum Auguſtini, *Cathedra eſt in terris, Doctor vero in cœlis*; & nemini non eſt tritus oratione locus ille Apoſtoli, *quod non ſimus idonei per nos ipſos ad cogitandum quicquam velut ex nobis ipſis*; *ſed quod idonei ſimus, id eſſe ex Deo.* At quotuſquiſque eſt, qui non in praxi, imo Theoria particulari, ab hujus divinæ veritatis ſcopo aberret? ac ea quæ ſibi vel è concionibus, vel aliunde ex divinorum dogmatum congerie conquiſivit, ad ſui ipſius cognitionem & inanitionem primario traducat? qui cum ſibi ſcientiam illorum acquiſivit, nonnihil non tribuat memoriæ aut ingenii ſui prærogativis (quod vel in repetendis concionibus in multis hodie obſervare licet); eoque in donorum illorum nuda poſſeſſione non acquieſcat. vel ſibi multa eſſe per ea agenda non autumet, de officio ſcilicet ſuo edoctus? Ex. gr. cum Apoſtolus omnes fideles ſimul cum Philippenſibus ad humilitatem & intuitum ſuæ impotentiæ adducere voluit, eos adhortatur, ut *cum timore ac tremore ſuam ipſorum ſalutem conficiant.* cujus rationem ſubjicit: *Deus enim is eſt qui efficit*

in

in vobis & ipſum velle, & ipſum agere, pro gratuita ſua benevolentia. mox videas homines, qui omnium piiſſimi audiunt, hic oculos potiſſimum in ſuum officium (quod tanquam opus ſuum, ab opere Dei diſtinctum, conſiderant) ipſiſque præſtandum munus, nempe operationem ſuæ ſalutis, magnopere deſudare, ut illum ſcilicet ſcopum per ſuam induſtriam atque activitatem aſſequantur.

XXXV. Adeoque primum Motorem Deum prævenire, vel inſcii, contendunt; ſpiritumque ſuum humanum divinæ Gratiæ, inſtar alicujus Dei, reipſa ſubſtituunt, aut certe divinis ipſius operationibus immiſcent; eoque impuras operas producunt. Quod eo paſſim nititur fallaci principio, quod omnes Catechumenos *ſe Chriſti eſſe proprios*, eoque ſe regenitos eſſe, ab ipſa infantia reſpondere ſive in templis, ſive in ſcholis didicerunt. Eoque ſuæ rationis illuminationem, ac cordis purificationem, & vires ſpirituales quodammodo præſupponunt. Unde poſtea exortus eſt *populus*, ut in V. T., opinione & profeſſione externa Chriſtianus, qui imaginarias hodie Eccleſias conſtituit.

CAP.

CAP. V.

De Ecclesia *Evangelica, aliisque Cœtibus plurimum ab ipsa dissidentibus; & quam mirabili atque occulta via me Divina Providentia ad Cœtum vere Evangelicum traduxerit.*

HIc quasi in bivio collocata, paululum anceps hæsi, an hoc loco præstaret retrogredi ad illa tempora, quibus insignis quædam circa vitæ ac studiorum meorum statum, per obitum meæ fidelissimæ Matris, incidit mutatio, quæ me curis œconomicis, atque operibus caritatis erga consanguineas quasdam domesticas, viginti circiter annis à studiorum progressu atque artium exercitio abduxit; quia facilior ad viciniora datur regressus: an vero filum ac nexum proxime antecedentium rerum Theologicarum sequens, ad illustrem materiem de Ecclesia, cujus amplitudo me paulo diutius retinebit, magis apposite progrederer. Sed prævaluere rationes, quæ mihi postremam viam eligendam, meamque mentem de hoc gravissimo argumento primum explicandam esse suaserunt.

II. Itaque cum meum sensum de Theologia Christiana in præcedentibus quodammodo aperuerim, minime mihi hic prætereundum existimo gravissimum illud argumentum, quod nobis Ecclesiæ veræ ac falsæ, vel etiam typicæ statum genuinum repræsentat. vel quia non parum lucis ex antea dictis (ut puto) fœnerabitur; vel quia distinctæ illius cognitionis defectus, & per-

perversæ doctrinæ idea, uti plurium errorum atq; abusuum, in cœtibus degeneribus, origo sive initium est: ita & nostri ab ipsis dissidii occasio simul & caput est; vel etiam imprimis, quia maxime inservit meo proposito, quo vitæ meæ præsentis statum, meliorem esse præterito solide & serio probare contendo; hac præsertim nixa ratione, quod ab Ecclesiis mundanis ad vere Christianam transiens, ne ab uno quidem vere Christiano secessum fecerim: sed me quampluribus insuper probatissimis adjunxerim, atq; communionis Sanctorum terminos, meo respectu, insigni modo dilatarim. Nam omnibus ac singulis vere Christianis, ubicunque locorum sint dispersi, aut in cœtibus extraneis detenti, sub Capite nostro Christo, in ejus Spiritu, unita maneo; nec per me, aut nostram Ecclesiam stabit, si vel duo aut tres in nomine JESU congregatos, sive per fidem in caritate unitos videamus, quin illis non solum affectu, sed & effectu, tanquam Ecclesiolæ Dei, etiam Ecclesiastice uniamur: Atque præterea integræ optimeque ordinatæ ac compositæ Ecclesiæ Dei, per singularem ejus gratiam, unita sum, quæ sese, non quidem numero aut professione nuda veritatum, in Confessionum libris comprehensarum, aut etiam quibusdam officiis pietatis, aut exercitiis Ecclesiasticis publicis commendat: sed quoad universale ejus corpus ex veris ac meris Christianis constat. ex Antecessoribus nimirum, à Deo revera edoctis ejusque Spiritu ductis, (quod vel de omnibus Dei filiis affirmat S. Apostolus) atque ex membris revera regenitis, Christique vitam imitantibus constituta est, de quorum lon-

longe maximæ partis nemo noſtrum ſine impietate dubitare poſſit, cum veros Spiritus fructus abunde proferant, & vel ab hoſtibus ſingularis ſanctitatis teſtimonium extorqueant.

III. Repetam igitur, quæ ſupra modo indicavi, ſtatum ac conditionem Eccleſiæ Evangelicæ ac vere Chriſtianæ prorſus alium, atque multis modis præſtantiorem eſſe, quam olim erat ſtatus Populi Iſraelitici, qui non ſolum merus typus & umbra quædam fuit Populi hujus *peculiaris* (ut Apoſtolus vocat Populum Evangelicum Tit. 2.) cujus purificandi atque acquirendi gratia Magnus Deus manifeſtatus eſt in carne: ſed &, quoad univerſale iſtius veteris Populi corpus, totius corrupti generis humani quædam minime obſcura fuit imago; quæ hominis, contra Supremum Dei Dominium ac Regimen rebellionem ad vivum, & fere jugiter repræſentat. Eccleſiæ vero Novi Fœderis ſupereminentem, purum, ac prorſus ſpiritualem ſtatum, variis typis præfiguratum, atque illuſtriſſimis, iisque innumeris prophetiis prædictum videas: ac primis N. T. temporibus inchoatum, & quantum ad Spiritus S. primitias, quas illam accepiſſe dixit S. Paulus Rom. 8: 23. adimpletum comperimus.

IV. Præterea longe alia hujus veræ Eccleſiæ Chriſti ſors & conditio eſt, quam illa hodiernarum Eccleſiarum, quarum congeriem, maximam partem, ex mundanis, avaris, ſuperbis, maledicis, aliisque antichriſtici regni ſubditis, qui ſi contra Chriſtum non diſputant, contra Chriſtum vivunt (ut Patrum quidam locutus eſt) conflatam eſſe ſat conſtat. Sed de his mihi plura

plura postea erunt dicenda. Nunc quædam tantum summa capita, quæ ad meum scopum collineant, de vera Ecclesia Christiana mihi hic proponenda; quæ illam majus ac melius quid esse, quam sibi hujus temporis homines imaginantur, facile evincent. Nam si vel sola ejus Nomina consideremus, illa omne dubium de ipsius dignitate atque excellentia ex hominum animis sustollere queunt.

V. Nomina sane quamplurima gloriosissima, juxta atq; dulcissima, è puro amore Dei & Christi erga hanc suam unicam, exorta, quæ ejus statum ac naturam supernaturalem, sanctam, ac divinam exprimunt, ac manifeste probant, feliciter sortita est. Deus enim Sapientissimus, Nomina multo certius ac verius, quam vel Adam ante lapsum, rebus convenientia imponit. Cujus præclaræ notæ inter alia sunt ista, quibus *Familia Dei*, *Domus Dei*, & vivum ejus *Templum* appellatur: quæ revera irregenitorum, à Fœdere Gratiæ alienorum, ac profanorum hominum multitudinem non designant; licet quosdam paucissimos vere regenitos eorum numero adjungas. Præterea quando *Hortus & Fons obseratus* (Cant. 4: 2.), *Sponsa & Soror Filii Dei*, *Virgo immaculata*, atque ipsum ejus *Corpus* in N. Testamenti Scriptis sæpius dicitur; quis, quæso, usque adeo omnem veram ac genuinam verborum significandi vim aut proprietatem ignorat, ut inde ideam mundani alicujus cœtus, ubi mundi spiritus regnat & imperat, mente sua concipiat? Cætera ejus præstantissima Nomina sive Elogia, quæ ipsi Ecclesiæ visibili in terris vel à Christo ipso, vel ab ejus Apostolis, aliisque

que Spiritus S. Amanuensibus tribuuntur, omittam: quia ea à Reverendo nostro Pastore *D. de la Badie*, inter alia argumenta quamplurima, plene pertractata sunt, peculiari Scripto Genevæ composito, atque Amstelodami in lucem edito, Titulo *Veræ Ecclesiæ Discernendi seu dignoscendi ratio*, Gallice *Le Discernement d'une veritable Eglise.* Scio à quibusdam his opponi, quod hæc elogia Ecclesiæ tribuuntur secundum optimam ejus partem, quamvis multitudo irregenitorum regenitos numero superet; cum eidem fere tituli, *Populi Dei*, *Hæreditatis Dei*, imo *Gentis sanctæ*, *ac Sacerdotii Regii*, Populo V. T. delati sint, cujus exiguam tantum partem fideles constituisse palam est. Sed ad hæc primo reponam, in corpore aut Toto collectivo, quale est corpus Ecclesiæ, hoc obtinere non posse; quis enim acervum paleæ ullo jure acervum tritici nuncupabit, etiamsi pauca quædam tritici grana illi admixta fuerint? aut quis gregem universum porcorum nomine gregis ovium salutabit, quamvis pauculas aliquot oviculas ibi hinc inde intercurrentes videat? quis fidelem alicujus Regis exercitum, vocet, ubi paucissimi tantum inter rebelles, fideles inveniantur? aut quis etiam corpus humanum esse dixerit, cujus membra fere omnia ex omnis generis belluis composita forent? Deinde ad populum Judaicum quod attinet, facilis etiam responsio est, cum talia nomina sive elogia isti Populo typice sive figurative imposita sint. Nam (ut de rebus istius œconomiæ hoc tantum in transitu hic notem, quod Manna & Rupes, quæ populum istum in deserto sequebantur ac

fu-

ſuſtentabant, ipſius Chriſti nomen obtinuerunt) certe quoad *Perſonas*, quæ Duces fuere illius populi, qualis erat *Moſes & Aaron*, *Joſua*, omnesque ejus Mediatores, Reconciliatores, & Liberatores externi & corporales, uti illas umbras ac figuras fuiſſe Chriſti Mediatoris, Reconciliatoris & Liberatoris ſpiritualis ac realis, nemo diſputat: ita nec ulla ratione in dubium vocari debet, ipſum iſtud populi corpus, externe fœderatum ac liberatum, figuram & umbram quandam fuiſſe Populi iſtius *peculiaris*, ut ſupra notavi, à Magno noſtro Deo & Redemtore Jesu redemti; cui iſta nomina & elogiá vere ſpiritualiter ac maxime realiter competunt, eique jam ante in ſua figura attributa ſunt.

VI. Præterea quamvis Eccleſiæ domeſticæ Abrahami, quæ ex vere fidelibus Sara, Iſaaco, ac trecentis viris fortibus, ab illo tanto Patrefamilias, qui per vivam fidem Jeſu diem videbat, familiariter inſtructis conſtabat; hæc Elogia omnino denegari non poſſint: tamen ejus poſteris, ſequentibus ſeculis, à ſuæ originis puritate deficientibus, non fuere illa hæreditaria; nec illis niſi typice competiverunt: ſed ſoli ejus antitypo, Eccleſiæ N. T. ut propria reſervata ſunt. Nam, quod hic notandum, Populus ille antiquus ex unica ſtirpe, Patriarcha ſc. Abrahamo, exortus, initio quidem ejusdem Gratiæ ac Fidei fuit particeps (ut in Iſaaco & Jacobo manifeſtum eſt) ſed poſtea in ramos plane innumeros, inſtar arboris vigore ac gratia cœli deſtitutæ, dilatatus, vix quicquam præter corticem cultus externi conſervavit: verum è diverſo Populus ſive Eccleſia N. T. ex innu-

meris ac diverſiſſimis familiis oriunda, inſtar ſphæræ ingentis circuitus, cujus lineæ (particularium ſc. Eccleſiarum) ad Chriſtum Jeſum earum Caput ac Centrum erant recolligendæ: quod egregio verbo ἀνακεφαλαιώσασθαι inſignivit Apoſtolus Eph. 1: 10. unde non minus novi Cœli ac terræ, in qua juſtitia habitat, quam Domus & Tabernaculi Dei cum hominibus, Nomina conſecuta eſt.

VII. Invitaret me quidem veræ Eccleſiæ Evangelicæ dignitas & pulchritudo, ut vivam atque integram ejus imaginem amabilem hoc loco depingerem, omniumque oculis ſubjicerem, ac falſos de ea conceptus ex animis hominum eruerem: ſed quia hoc accuratiſſimo atque optimo modo à cariſſimis noſtris Doctoribus factum eſt, tum Scripto ſupra indicato, tum duobus aliis noviſſime in lucem editis, quorum prioris inſcriptio eſt, *Veritas ſui Vindex*, ſeu *Solennis eorum fidei Declaratio.* alterius vero titulus eſt Belgice, (quia Latine lucem adhuc exſpectat) *Den Tabernakel Gods.* quibus tertium, omnium quaſi fundamentum, *De Fœderibus Dei*, brevi ſe comitē præbebit; atq; hiſce omnibus perfecta quædam idea veræ Eccleſiæ Dei, Chriſtianiſmo exprimenda, ad vivum exhibetur: ego actum, & tam bene actum, non agam. Veruntamen quia ejus pulchritudo, & cœleſtis quædam ejus cognitionis vis me rapuit, & à corruptis ac mundanis Eccleſiis, ad puram Chriſti Eccleſiam me traduxit, nonnulla, quorum intuitus me maxime movit, hic obiter delineabo.

VIII. Eminet autem inter alia in primis cœleſtis atque antiquiſſimæ ejus originis contemplatio

tio. Quod nimirum ex æterna Dei Bonitate, ac liberrima ejus Voluntate, quasi suum nobilissimum genus ducat. cum ante jacta mundi fundamenta in Idea divina, non solum per ejus præsentiam, sed & per ejus decretum, ab omni æternitate, tanquam objectum ejus benevolentiæ extiterit, qua Deus Pater illam in Filio suo unigenito Jesu Christo, ipsius Capite, in Filiam suæ adoptionis elegit; utpote in tempore creandam, in fœdifragium lapsam, erigendam; & per suam infidelitatem à se alienatam, ad se reducendam. Idque juxta Fœdus gratiæ, cum ejus Capite, Filio nempe suæ dilectionis & beneplaciti initum. Ubi Filius, divinæ gloriæ Patris amator summus, sese in ejus offensæ Reparatorem, & Sponsæ suæ Sponsorem & Satisfactorem, secundum consilium & ordinationem Patris, obtulit & instituit, & per sui ipsius sacrificium, in plenitudine temporum peragendum, illam Patri suo reconciliavit, & sibi eam in propriam possessionem ante omnia secula acquisivit. Quarum rerum contemplatio, atque admiratio non potest non præstantissimam sanctæ cujusdam Ecclesiæ amabilitatis ideam nostris quoque animis imprimere; quando nimirum illam, ut Dei beneplaciti & dilectionis effectum & objectum, & ad laudem gloriosæ suæ Gratiæ electam, intuemur, eamque destinatam à Deo discimus ex Epistola ad Ephesios cap. 1: 4, 5. *ut sit sancta & immaculata in conspectu Dei cum caritate.*

IX. Deinde & maxime me movit æterni ac gratiosi istius Decreti de hac Ecclesia, in tempore executio, non tam in prima hominum,

Adami sc. & Evæ creatione, (qui alterius fœderis ac sortis Ecclesiolam exiguo tempore composuere,) quam in Ecclesiæ Christianæ mirabili ac supernaturali productione ac secunda creatione, manuductione, & perpetua formatione: ubi quamplurima, non solum corruptæ rationi humanæ, sed intellectui etiam electorum Angelorum incomprehensibilia, revelantur. Quam multa enim ac magna ejus instituendæ ac ducendæ causa prædixit, præfiguravit, ac fecit SS. Trinitas ab ipsis primi seculi initiis, ac sub Oeconomia veteris Testamenti? Quæ si quis animo attento contemplari, aliisque explicare velit, integri Tractatus argumentum præstantissimum illi suppeditarent.

X. Sed cæteris rerum ac factorum figuris omissis, Personas illas eminentiores, quæ vel *Christum, tanquam Caput Ecclesiæ*, vel ejus *Corpus Mysticum* typice adumbrarunt, obiter attingam. Prioris ordinis est Abrahamus Patriarcha, quocum Deus Opt. Max. Fœdus gratiæ solenniori modo iniit vel renovavit. Nam primum Adamum prætereo, quamvis aliquo respectu typus fuerit futuri *Rom.* 5: 15. quia potius Secundo Adamo opponitur, quam subordinatur. nisi forte quatenus per infinitam Dei gratiam & misericordiam, à fœdere operum, ad fœdus gratiæ, per fidem in Semen Mulieris, caput esse desiit rebellis generis humani, & ad Caput N. F. per totalem sui abnegationem transiit. Abrahamum vero Patrem Credentium typum fuisse egregium Ducis, & consummatoris fidei Jesu, nemo dubitat; cum Patriam relinquens voluntatem Dei, loco omnium bonorum per

totam

totam ſuam vitam amplexus eſt; & filium ſuum unice dilectum, aut ſeipſum potius, in filio iſto, Deo ſacrificavit; eoque peculiari modo Dei Filium, vitam, atque animam ſuam, juxta ac corpus Patri ſuo Cœleſti, in Sacrificium offerentem repræſentavit, unde Dei Amicus quem nihil celare poterat S S. Trinitas, à Deo ipſo appellatus eſt, ejuſque preces ſemper fuere exauditæ. Inter primos, mihi hic obſervandos, inſuper obviam fit Moſes, qui non minus perſpicue, quatenus Populum Iſraeliticum è ſervitute Ægyptiaca eduxit, & interceſſor fuit iſtius populi apud Deum; Liberatorem Eccleſiæ ſuæ, ejuſque Mediatorem J. C. in illuſtri figura expreſſit. De Fœdere autem peculiari, quod Deus cum populo illo externo & Abrahamitico, ſecundum carnem, feriit, cujus ipſe quoque quaſi Mediator ac miniſter fuit, hoc loco nihil dicam. Hoc enim me, præter mentem, in tractationem de Fœderibus Dei induceret: quæ ſane Doctrina, cum veræ cognitionis Eccleſiæ, imo totius Religionis Chriſtianæ baſis ſit, tam ſolide tamque luculenter huic noſtro ſeculo, ejus mirum in modum ignaro, tradita eſt, à noſtræ Eccleſiæ doctore *D. Petro Yvon*, ut non poſſim quin ejus Tractatum nuperrime Titulo *Eſſentia Religionis Chriſtianæ patefacta &c.* editum omnibus, qui Veritatem Religionis Chriſtianæ amant, ſerio, hac occaſione, commendem. Moſen excipit Joſua, qui ſicuti Nomen, ita & perſonam & facta Jeſu minime obſcure adumbravit, cum Populum eundem in terram Canaan introduxit, Reges & Gentes, & Urbes ac mœnia deſtruens, ut locum cederent hereditati

Dei. Sed omnium proxime Rex & Propheta David, personam Veri Regis, Prophetæ, ac Sacerdotis, sive Pastoris Davidis, ut J.C. vocant Prophetiæ, in viva quadam figura, sustinuit, quod tam ex Historia Sacra, quam ipsius Psalmis, 2. 8. 22. 40. 45. aliisque notissimum est.

XI. Secundi vero ordinis personæ, quæ N. T. Ecclesiam, sive fideles præfigurarunt, sunt tum sacerdotes, tum gens tota Israelitica. Nam proprie & spirituali modo tota Ecclesia N. T. est *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus quem sibi Deus ut proprium vendicat.* Quo nomine Apostolus adhortatur omnes fideles, ut *corpora sua sistant hostiam vivam, sanctam, placentem Deo*, non ut bruta offerebantur in V. T. loco hominum, sed *rationalem cultum.* Et remota circumcisione externa, & nihil nisi *novam Creaturam* quicquam in Christo valere asserens, eos solos, qui secundum eam regulam incedunt, vocat *Israelem Dei Gal.* 6. Non enim omnes qui sunt ex patre Israele sunt Israel, ut alibi affirmat. Si vero hæ figuræ & umbræ rerum futurarum tantam habuere claritatem, cujus ne centesimam quidem partem hic attigi, quid de earum Antitypo & ipso corpore erit dicendum? Certe hoc divino suo more egit Apostolus, integra fere sua Epistola ad Hebræos, & alibi, ubi Lucem per ejusmodi umbras reddidit illustriorem.

XII. Omnium tamen optime (ut puto) dignitatem atque excellentiam Ecclesiæ Evangelicæ cognoscemus, si illam, post visibilem Messiæ in Mundum Adventum, propius intuamur,

in charitate Patris, in gratia Filii, & communione Spiritus S. unde patebit quanto in pretio sit apud S.S. Trinitatem. Nec quicquam me præter scopum acturam puto, si paululum liberius *charitatem Patris*, quæ prima ac liberrima ejus beatitudinis causa est, in omnium divinorum operum maximo contempler & de hujus Ecclesiæ dignitate ac propriis quædam dictura, de ejus Capite dignissimo, utpote de *proprio*, Patrique *æquali* Filio, quocum inseparabilem habet conexionem, & cujus Gloriam, ut sponsa, participat, quædam fusius proponam. Ad primum itaque animum advertens, merito admirabunda cum ipso Dei Filio exclamo; *Ita Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitũ dederit, ut unusquisque qui credit in eum non pereat, sed vitam habeat æternam.* Ipso nempe facto tandem dedit mundo (scilicet credenti) hoc *Donum*, quod omnium donorum ac bonorum fons, & compendium est. Idque tam admirabili via, ut Prima Divinitatis Persona, sive ὑπόστασις Patris hunc suum Filium, qui à Sanctis Apostolis λόγος & χαρακτὴρ sive Verbum atque expressa ejus Imago ac resplendescentia dicitur, quemque tota sua æternitate in sinu suo generat, carnem, sive filium hominis fieri voluerit: & quidem filium Virginis, (juxta prophetias,) modo isto nobis ineffabili quod supervenienti illi Spiritu S. per impervestigabilem operationem Altissimi, (quam *inumbrationem* vocat Verbum Dei scriptum), Verbum illud æternum atque essentiale Patris humanæ naturæ, ex substantia hujus Virginis oriundæ, atque divinæ ejus naturæ uniundæ in visceribus suis conceperit, gestaverit, fove-

rit & peperit. Adeoque verum Emmanuelem, jam tot seculis expectatum, atque exoptatum Ecclesiæ adorandum & amplexandum produxerit. Quo augustissimo argumento Deus Opt. Max. anne abunde satis suam benignitatem & amorem erga homines seu φιλανθρωπίαν, declaravit? Et anne omne dubium nobis sustulit, quin illi placeat ut Ecclesia, singulique fideles arctissimo unionis vinculo ipsi socientur in hoc tanto, tamque Divino capite, atque ejus naturæ Divinæ fiant participes? cum eo fine hunc Filium suum unicum miserit in mundum, ut particeps fieret naturæ humanæ, eamque sibi in isto Filio, qui cum Patre & Spiritu S. unus ille verus Deus est, admirando hoc vinculo uniret?

XIII. Sed redeo *ad Patris cœlestis, erga proprii sui Filii humanã naturam, charitatem, ejusque mirabiles effectus*, quibus illam in ipsius Divinitatis Thronum extulit, omnibusque Divinis donis & bonis, quatenus Divinæ ejus Personæ unita est, dotavit; quæ omnia deinde in ipsam *Ecclesiam* ab hoc *capite* defluunt ac redundant. Primum autem ac cæterorum principium est, quod Pater Christi humanæ Naturæ, ejusque Animæ & corpori, Filium suæ dilectionis in Sponsum, & quasi divinam Animam dederit; ita ut duæ naturæ, alias infinita valoris distantia dissitæ, in hac divina Persona unitæ, adorandum illud totum, Jesum scilicet Christũ, constituit. Unde consequitur, quod ipsa quoque divina Essentia, in Verbo ab omni æternitate existens, huic humanæ naturæ, jam à secunda deitatis Persona assumptæ, terminatæ, ac sustentatæ sese comunicarit,

rit, ſimulque omnes Perfectiones & attributa divina, quæ ab Eſſentia non differunt, illi impertierit. *Placuit enim Patri, ut in hoc Eccleſiæ capite, omnis plenitudo inhabitaret.* Et reipſa, teſtante S. Paulo, in eo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter *Col.* 1: 18, 19. Atque inde eſt quod Propheta *Jerem.* 23, 16. oculis in Chriſti humanam naturam converſis, ita *Dictum Jehovæ* enunciet: *Ecce dies venturi ſunt, quibus excitabo Davidi Germen juſtum, &c. diebus ejus ſervabitur Jehuda, & Iſrael habitabit ſecure, atque hoc eſt nomen, quo vocabitur, Jehova juſtitia noſtra.* Ac Propheta Evangelicus de hoc *Puerulo nato*, & *Filio dato* Eccleſiæ, prædicat, quod ejus nomen vocabitur *Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps Pacis, Jeſ.* 9. Quæ nomina ſive Attributa, cum mere Divina ſint, non niſi perſonæ divinæ competunt, in qua natura humana ſubſiſtit; eoq; reſpectu Pater ille æternitatis, cum puero in tempore nato, in Chriſto ſc. optime ſimul conſiſtunt, & unum ſunt. Eidem Puero convenit *Exortus ab omni æternitate. Mich.* 5. & *ante Abrahamum*, imo *ante omnia Dei opera, & ante ullum tempus fuiſſe, Prov.* 8. 22. Idem vero quod de æternitate Capitis Eccleſiæ nunc liquet, de cæteris divinis proprietatibus, atque operibus facile demonſtrari poſſit, cujusmodi ſunt *Ubique* eſſe *præſentem, in cœlo ſimul & in terra eſſe, Joh.* 3. 13. *Omnipotentem eſſe Apoc.* 1: *Principium eſſe vitæ, & Vitam habere in ſe ipſo, quemadmodum Pater vitam habet in ſe ipſo, Joh.* 5. 26. Id eſt Fontem & ſcaturiginem eſſe omnis vitæ.

XIV. Divina etiam opera Chriſto Θεανθρώ-

πῳ

πῳ passim in S. Literis tribuuntur, *utpote creare Cœlum & Terram; omnia sustentare potenti suo Verbo; Judicem esse universi; Mortuos resusitare.* Quæ ita Deo sunt propria, ut *Maledicendum* sit *iis Diis qui Cœlum & Terram non crearunt. Jerem.* 10. 11. Atque hoc fundamento Ecclesia innixa, suam fidem & fiduciam tuto in hoc homine-Deo habet, & carnem divinam statuit brachium suum absque ullo maledictionis divinæ metu. Verū in Operibus Gratiæ tantam partem habet Filius Dei & hominis, ut universam fere S. Scripturam transcribere necessum habeat, siquis de iis ordine, & satis dicere velit. Nam totum opus Redemtionis ei concredidit Pater, ut ipse testatur Salvator *Joh.* 17: 2. In ultima ejus precatione Sacerdotali, *Dedisti ei* (nempe Filio) *autoritatem in omnem carnem, ut quæcunque dedisti ei, det eis vitam æternam.* Et paulo post, *ego te glorificavi in terra: opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem.* Atque profecto omnibus iis perfectionibus divinis de quibus jam sermo fuit, ipsi opus erat, ut opus hoc difficillimum exequeretur, iram divinam placaret, mortem ad victoriam absorberet, caput Serpentis contereret, peccatum & opera diaboli destrueret, divinæ Justitiæ satisfaceret, Sacrificium satis dignum illi offerret, Fortem vinciret & vasa ei eriperet, vitam resumendam deponeret, Spiritum Sanctum mitteret Ecclesiæ, tandemque ei daret vitam æternam. Requirebatur enim ut vita & mors Christi ejusque satisfactio & merita infiniti essent pretii & meriti, omniaque in iis essent divina. Atque revera iste mirabilis duarum naturarum unionis in hac divina Persona, effe-

ctus

ctus est, quod omnia quæ ab illa proveniunt, ac Christo propria sunt sive naturalia sint, sive moralia, sive supernaturalia: sive spiritualia sint, sive corporalia, omnia pro divinis à Deo habeantur & à nobis haberi debeant, quod de Christi sanguine diserte asseritur *Actor.* 20: 28.

XV. Duo supersunt ejusdem Amoris seu charitatis Dei Patris erga Christi humanam naturã effectus, sive fructus. Primus est quod Pater ipsi *dedit omnem potestatem in cœlo & in terra.* Neque enim huic Deo homini ac Secundo Adamo, qui ipse Dominus è cœlo est, 1. *Cor.* 15. & Caput Novi Fœderis, sive Mediator unicus inter Deum & hominem, solum Ecclesiam, ut Capiti suo, subjecit *Eph.* 2: 22. sed & *omnia subjecit ejus pedibus. Pater diligit Filium* (ut ipse de se testatur) *& omnia ei dedit in manum Joh.* 3: 35. Omnia qui dicit nihil excipit (ut cum Apostolo argumenter) nisi eum qui ei omnia subjecit. Omnes Angelos tam lucis quam tenebrarum, quamvis diversissimo modo, omnes Reges, & fines terræ omnesque gentes ejus sceptro subsunt, si non quo ad plenam omnium possessionem & usum, certe quo ad ipsum ejus jus ac dominium suo tempore Orbi manifestandum. Quamvis enim cum Patre & Spiritu S. supremum atque absolutissimum dominium habet in omnes Creaturas, jure earum creationis ac conservationis: tamen peculiariter (Verba sunt ipsius Mediatoris) *Quatenus filius hominis est, authoritatem ei dedit Pater Judicium excercendi Joh.* 5. 17. Eumque in Regem unxit super montem Zionis, ipsique daturus est omnes gentes in possessionem. ac dominari jussus est in medio ini-

mi-

micorum, brevi & Satanam Ecclesiæ pedibus subjecturus.

XVI. Huic benificio aliud annexum est, quod Pater illam suam gloriam, quam se alias nemini daturum pronunciavit, *Jes.* 42: 8. nostro Salvatori dederit, eo ipso teste, imo omnem honorem, quem quis neglecto honore Filii ipsi deferre velit, pro nihilo, aut pro offensa habeat. *Joh.* 5: 22. *Omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem.* Nam ut ait S. Paulus *Philip.* 2: 19. *Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu se flectat cœlestium, terrestrium, & subterraneorum,* quæ Dei propria gloria est *Jes.* 55: 23. Ideoque non solummodo jussit ut omnes sive Reges sive subditi ipsum osculentur *Ps.* 2. sed, ut nos docet Apostolus *Heb.* 1: 6. *cum hunc Filium suum unigenitum induceret in Orbem terrarum, ut eum omnes Angeli adorent.* cui respondet *Ps.* 97. 7. Nec tantum hanc gloriam illi in cœlo reservavit, ubi illi, Agno scil: mactato, idem honor, eadem gloria, & benedictio, ac Patri defertur, *Apoc.* 5: 12. 13. sed in ipso suæ exanitionis statu, in stabulo, ac præsepi ab universo cœlitum exercitu delata est. Unde Ecclesia gloriam sui Capitis cognoscere potest, & suam cœlestem vocationem ac statum admirari. quod Domino illi Gloriæ (ut à S. Petro appellatur) desponsata sit, per incomprehensibilem Patris cœlestis erga ipsam charitatem. Ultimus charitatis Dei Patris tam erga Novæ Ecclesiæ Caput, quam erga ipsam effectus, quem mihi attin-

gen-

gendum proposueram, reliquus est, quod ipsa Divina Majestas hanc suam dilectionem è cœlo non semel promulgavit, suamque in hoc Filio animæ suæ complacentiam atque acquiescentiam divina hac sua voce testatus est: *Hic est Filius ille meus dilectus, in quo acquiesco, ipsum audite.* Eoque divino testimonio confirmavit, & designavit, hunc esse istum, per excellentiam dictum, Prophetam, quem clementer populo suo (Evangelico sc:) per Mosen, promiserat, *Deut.* 18: 18. *Prophetam suscitabo eis è medio fratrum ipsorum, sicut tu; & indam Verba mea ori ejus, ut eloquatur eis quicquid præcepero ipsi. Erit autem ut quisquis non auscultaverit verbis meis, quæ locuturus est in nomine meo; ego reposcam ab illo.* Quæ brevius expressit *Apostolus Heb.* 1: 1. *Ultimis hisce diebus locutus est nobis in Filio.* nempe jam fratribus simili facto, ut *misericors esset ac fidelis Pontifex, in iis quæ agenda forent apud Deum, ad expiandum peccata populi.* Non enim eum Pater constituit, ut exactorem rigidi juris Pacti veteris, qui ipsi loqueretur è medio ignis, & fulguris, ac tonitru de monte fumante; sed eum instituit ut *Pastorem bonum*, cujus adventus, tanquam verum Evangelium, ex alto monte Zionis, seu Ecclesiæ Novæ, alta voce erat annunciandus, hisce verbis: *Ecce Jehova venturus est contra robustum*, nempe Ecclesiæ hostem, *& Gregem suum pascet, sicut Pastor, in brachium suum congregabit agnellos, & in sinu suo illos portabit: & fœtas ducet commode. Jes.* 40: 9. *&* 11. Ista vero solennis Doctoratus, sive Pastoratus Christi Declaratio, à magnifica Gloria, Patris (ut Apostolus ejusdem spectator

loqui-

loquitur) 2. *Pet.* 1: 17. profectâ, cujusque fundamentum erat Patris in Filio acquiescentia ac dilectio, uti Christo Capiti, ita & corpori Ecclesiæ fuit gloriosa. Sed illud omnem intelligentiam hominum & Angelorum superat, quod Pater Cœlestis Filium suæ dilectionis dederit non solum in Doctorem & Pastorem: sed & in victimam pro illa destruendam, nempe quo ad amabilem illam ejus humanam naturam; cum alioqui Ecclesia, suo demerito victima Diaboli fuisset mansura. His autem omnibus recte perpensis, fieri nequit, ut siquis ullius divinæ veritatis, ac puræ Charitatis capax sit, primo non adoret dilectionē Patris Cœlestis, deinde eandem contempletur & diligat in Ecclesia, eamque ut insigne Divini Amoris objectum, magni faciat, quod tanti fecit ipse Deus. Nam si regū ac imperatorum est munera atque honores distribuere, pretiumque rebus imponere; quis dubitet quin regum Regis, atque imperatorum Imperatoris sit, Ecclesiæ honorem, æstimationem, & benevolentiam omnium conciliare? siquidem ejus est non solum declarare, quid honore & amore dignum sit, sed quæcunque vult honorifica atque amabilia efficere.

XVII. Ordo nunc postulat, ut ad meditationem *Gratiæ Filii*, qua fidelissime Ecclesiæ conjunctus est, exinde pergam. Cujus stupendus primo se mihi offert effectus, quod Benignissimus noster salvator plus etiam Ecclesiam sive Corpus suum mysticum, quam corpus suum naturale dilexerit, illudque pro altero dederit; imo ipsam ejus animam pro suis ovibus & amicis dederit, eamque infernalibus angustiis ac pœ-

nis

nis exposuerit. Et quamvis Ecclesia rea esset criminis læsæ Majestatis Divinæ, ejusque reparationis debitrix, ipsius quoque Filii Dei respectu, qui eodem crimine læsus erat: tamen ipse in medio Consilii S.S. Trinitatis, quasi surgens, sese in ejus Sponsorem futurum obtulit, atque ipso facto se talem in tempore præstitit, *melioris* scilicet *Pacti factus Sponsor*, ut nos docuit Apostolus *Heb.* 7: 22. Nam revera minime tergiversatus est, cum hora ultimi sui Sacrificii advenisset. Quod Evangelicis suis verbis exprimens *Jesaias Cap.* 53. nos quasi in rem presentem ducit, *versu* 7. *Cum exigeretur* (ut recte vertitur textus Originalis) scilicet ut solent sponsores, deficiente debitore, in judicium vocari & exigi, *afflictus fuit*, *nec aperuit os suum*. *Nam Dominus incurrere fecit in ipsum iniquitatem omnium nostrum*, & *Pœna quæ nobis pacem attulit*, *super ipsum fuit*, & *per ejus livorem sanati sumus*. Ac denique *Animam suam pro delicto posuit*. Quod brevius dixit Apostolus 2. *Pet* 2: 25. *Peccata nostra ipsemet sursum tulit*, *in corpore suo super lignum*. Atque ea omnia S. Historia Evangelica confirmat, quomodo sc. omnia in Christo *consummata* sint, ipseque solverit quæ non rapuerat. Et ut divinis ejus verbis utar, *Filius hominis non venit ut sibi ministretur sed ut ministret*: *detque animam suam in redemptionis pretium pro multis*.

XVIII. Anne vero ea omnimoda ejus gratia est, quod *cum esset in forma* (sive natura) Dei, *rapinam non ducens*, *Parem esse cum Deo* (ἴσα Θεῷ) *ipse sese inanivit*, *forma* (sive natura) *servi accepta*, *similis hominibus factus sit*, & *habitu*

bitu inventus ut homo ipse se submiserit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Phil. 2: 6. E quibus omnibus liquet hunc sponsorem fidelissimum omnes conditiones ardui hujus fœderis, quod cum Patre suo in gratiam Ecclesiæ contraxerat, solum præstitisse. Eumque ut secundum Adamum, per viam contrarii, i. istius viæ, qua primus Adam per superbiam, ac perversum amorem sui ipsius, ad paritatem cum Deo contenderat, sesque à Deo suo diviserat, per humiliationem, & per abnegationem suæ gloriæ, atque fruitionis omnium bonorum; imo per ignominiam ac perpessiones difficillimas Ecclesiam suam ad Deum & Patrem suum reduxisse.

XIX. Alius insignis Gratiæ Filii Dei respectu suæ Ecclesiæ effectus hunc excipit, quod non solum, velut agnus, mactatus sit, ac moriendo mortem absorbuerit; sed & instar Leonis è tribu Judæ, in domum Fortis illius inimici Satanæ invaserit, ejusque vasa sive suas oves, omnipotenti brachio infernali isti lupo ereptas, in libertatem vindicarit; & eas vita nova atque incorruptibilitate donarit per suam Resurrectionem, Ascensionem, & triumphalem Sessionem ad Dextram Patris sui Cœlestis. Unde omnia bona ac dona super Ecclesiam effundit, ac præsertim donum omnium bonorum maximum, Spiritum suum sanctum; quem ei à Patre (ut ipsi à se promeritum) ut fontem vitæ, in ejus vivificatorem, consolatorem, & sanctificatorem, perpetuumque Ducem cœlitus demittit, quo nomine bonum esse suis discipulis dixit Servator, ut iret ad Patrem, ipsosque quo ad corporalem ejus præsentiam, derelinqueret.

XX.

XX. Ultimus vero Gratiæ Filii Dei effectus; quem hic præterire non debeo, est quod Ecclesiæ veræ, suisque fidelibus omnibus & singulis *eandem caritatem*, qua Pater diligit Filium suum unigenitum, suo merito & intercessione procuret, eosque tam mirabili modo inter se; imo secum, & cum Patre, in Spiritu suo uniat, ut cum iis unum esse dici queant. Talia autem magna & admiranda quis nostrum asserere auderet, nisi Christus, ipsa Veritas, nobis in eo præivisset, sic de suis redemtis coram Patre verba faciens Joh. 17, 19. *Eorum causa ego sanctifico meipsum; ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non autem tantum pro ipsis* (Apostolos suos intelligens) *rogo; sed & pro iis qui per sermonem eorum credituri sunt in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint.* Et paulo post subjiciens, *Notum ipsis feci nomen tuum, & notum faciam, ut caritas, qua dilexisti me, sit in eis, & ego in eis:* Cujus finem ibidem indicaverat versf. præcedentibus, amplificationem scilicet Gloriæ Dei. *Ut cognoscat Mundus, quod tu me miseris, & eos diligas, prout me dilexisti.* Quis autem non obstupescit ad tantam humilitatem, benignitatem ac caritatem proprii Filii Dei, qui se nobis parem constituit, & nos ipsi pares fore gaudet? quæ infinita bonitas, ejus veræ divinitatis argumentum est. Ecquis ergo vel ideo non magni faciat Christi Ecclesiam, quæ tantam cum eo; suo Capite conformitatem habet.

XXI. Videamus porro hoc loco, quanta sit Ecclesiæ Christi felicitas, cui in hæreditatem cessit *Communio Spiritus Sancti*, cujus gratiæ in-

tuitu jure cum eximio illius membro Rege Davide gloriari poteſt, *Jehova portio hereditatis meæ, Funes mihi ceciderunt in jucundis!* Nam revera cujus portio Spiritus S. eſt, ejus portio eſt Jehova; non ideo tantum quod ipſe fideles ducit ad Jehovam: ſed quia cum Patre & Filio eſt ipſe Jehova, unus ille verus Deus, quem *in ſolio excelſo ſedentem* ac divina gloria coruſcantem vidit Propheta Jeſaias cap. 6: 1. cujus gloriam & verba, *Vade ad populum iſtum & dic, auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non cernetis*: uti Jeſu Chriſto tribuenda eſſe docet S. Joannes cap. Evangelii ſui 12: 40, 41. Ita eadem tribuit Spiritui S. Apoſtolus Paulus Actor; 28: 25, 26. Quod unicum argumentum ſatis validum eſſe credo ad probandam veram Deitatem Divinæ ejus Perſonæ contra omnes ejuſdem adverſarios, ut hoc in tranſitu notem.

XXII. Hunc autem Dei Spiritum promiſſum videmus Eccleſiæ in V. Teſtamento, ſecundum gratiam Novi Teſtamenti, veluti Creatorem novi cordis, & principium novæ vitæ Ezech 11: 19. *Indam ipſis cor unum, & Spiritum novum ponam in medio ipſorum.* Et cap. 36: 26. *Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri, & amovens cor lapideum è carne veſtra, indam vobis cor carneum: & Spiritum meum ponam in medio veſtri, quo faciam ut in ſtatutis meis ambuletis, & jura mea obſervetis, facientes ea.* Hic Spiritus S porro nobis repræſentatur, ut Novi Templi Architectus, qui illud ædificat, inhabitat, exornat, illuminat, inungit, & ſanctificat. Quod in viſione Prophe-

phetica mirabili modo revelatum fuit Prophetæ, Zachar. 4: 3, & 6. *Ubi candelabro toti aureo* (Ecclesiæ hujus Evangelicæ typo) *vas oleì impendebat, eique utrinque à dextra & sinistra duæ oleæ adstabant*; quæ præsentiam ac virtutem Sp. Sancti (Angelo interprete) designabant. Unde v. 6. remota vi & virtute hominis, ædificium Templi consummaturus dicitur Jehova, hisce verbis: *Non virtute neque vi efficietur, sed Spiritu meo, ait Jehova exercituum.*

XXIII. Præterea in N. T. non semel renovata fuit hæc promissio effusionis Spiritus Dei, à Salvatore nostro Joh. 14, 16. *Ego vero rogabo Patrem, & alium Advocatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Et cap. 16, 13. *quum autem venerit ille, Spiritus ille veritatis, dux viæ vobis erit in omnem veritatem.* Et Act. 1, 4. eum vocat, Promissionem Patris, quam illos Hierosolymis exspectare jussit. Promissiones autem & prophetias istas impleri cœptas videmus Act. 2. ubi Apostolus Petrus effectum cum promissione divina conferens, sic auditores suos affatus est: *Viri Judæi &c. hoc vobis notum esto &c. Hoc illud esse quod dictum est per Prophetam Joelem: ultimis temporibus (dicit Deus) effundam ex Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii & filiæ vestræ &c.* Quæ verba cum perspicue ultima gratiæ & operationis Spiritus S. tempora illustriora spectent, istis initiis, vel, ut cum Apostolo loquar, *Spritus primitiis* Rom. 8. 23. ejus plena & integra messis terminari non debet. ut quidam Theologi, qui suâ mensurâ, divina metiri non verecundantur, Orbi suadere student. Quamvis enim Deo sa-

pientissimo ac liberrimo rerum omnium Domino, ac suorum donorum dispensatori non placuerit, ut paribus passibus ac gradibus Ecclesiæ, primam illam Hierosolymitanam proxime subsequentes, eandem abundantiam Spiritus S. assequerentur; & quamvis, ut locus daretur Mysterio iniquitatis, & Anti-Christianismo universali, gratia illa prima à Christianismo degenerante sensim recesserit; maxime tempore Constantini Magni, quo mundus in Ecclesiam irrepere, imo solenniori modo introduci cœpit: tamen nullum tempus concipi debet quo, non aliqua ex parte adimpleatur hæc prophetia in vere fidelibus, si quidem Christianismum in terris indesinenter exstiturum concedamus: *Quotquot enim filii Dei sunt, Spiritu Dei ducuntur.* Et *sicubi duo aut tres in nomine Christi congregati sunt, Christus in medio ipsorum est.* nimirum per ejus Spiritum, qui illorum lux & Dux est. Et *siquis Christi Spiritum non habet, ille non est ejus*; adeoque non est Christianus, nec ullo justo titulo Christianus nominandus. Attamen cum Sacris literis statuimus, postremis temporibus, post lapsam Babylonem & ligatum Satanam, & post introitum gentium in Regnum Christi, & denique post conversionem universalem Judæorum, fore adimpletionem plenam istarum universalium atque illustrium prophetiarum tum ex V. tum ex N. T. qualem ex Joele citavimus cum Apostolo Petro, cui addi possent multæ aliæ, sed unam illam loco omnium proponam ex Zachar. 12: 7. quam nondum adimpletam esse nemini controversum est, quod ad plenitudinem & amplitudinem

gra-

gratiæ universalis, & operationis Spiritus Sancti, quibus efficietur, *ut habitatorum Jerusalem infirmiores futuri sint sicut David, & Domus David sicut Angeli, sicut Angelus Domini, ad facies eorum.* De quibus si quis accuratam ac plenam desideret cognitionem, eam ex binis egregiis Tractatibus D. de Labadie, uno titulo *De Imperio Spiritus Sancti*, Gallice *De l'Empire du S. Esprit*: altero ejusdem Autoris, inscriptione *Præco seu Fecialis Magni Regis* JESU, Gallice *Le Heraut du Grand Roi* JESUS, abunde haurire potest.

XXIV. Pergam itaque ad considerandos quosdam beatæ communionis Spiritus Sancti effectus, atque eos præsertim qui nunc animum meum maxime feriunt; quarum primarius est Unio illa intima, qua Ecclesiam cum Capite suo Christo, & in ipso cum Patre & secum, adeoque cum SS. Trinitate unit: deinde & singula ejus membra inter sese, & cum eodem, eorum Capite, singulatim conjungit, atque in templum vivum ædificat. Quemadmodum autem duas naturas in Christo, divinam sc. & humanam, in persona Filii Dei unigeniti, in unum Mediatorem Dei & hominum electorum, ac Ecclesiæ Caput intimo atque æterno unionis vinculo univit: ita & hujus unionis ejus cum Ecclesia suisq; omnibus, unicus Autor, & quasi internum atque indissolubile vinculum est. Hoc liquet ex dictis Apostolicis, sive n. Ecclesiam intueamur ut ædificium ac Templum Dei vivum; sive eam accomparemus corpori humano: utrumque nobis hanc unionem arctissimam ad vivum depinget. De ædificio ver-

ba facit Apostolus. inter alia Epistola sua ad Eph. cap. 2, 22. ubi postquam de Christo ut lapide angulari locutus erat, sic pergit, *in quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, ut sit Templum sanctum Domino; in quo & vos una ædificamini, ut sitis domicilium Dei per Spiritum.* Templum autem Dei uti ex vivis lapidibus constat, ita vivum est, & vivo quasi cœmento istius cœlestis animæ, & Spiritus sancti nexu conjunctum & unitum. Sin cum eodem Apostolo Ecclesiam respicimus ut corpus humanum, ejus constitutio nobis ipsius Caput atque ejus membra, eorumque unionem ac naturam non minus scite delineabit. Sic enim ait 1. Cor. 12, 12. *sicut corpus unum est & membra habet multa, omnia illa membra corporis, quod unicum est, multa sunt, sed unum sunt corpus; ita & Christus.* Christus autem à Christo non dividitur; quod merito prodigii instar, & per deductionem ad absurdum, rejicit idem sacer Scriptor 2. Cor. 1, 13. *Num divisus est Christus?* Etenim (ut alibi loquitur) *per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus*, per *baptismum* videlicet *Spiritus* Act. 1, 5. quo Christus ipse baptizat.

XXV. Adhuc duo tantum communionis Spiritus Sancti effecta hic attingam; Primum, quod *preces & cultum* fidelium *format* ac *spiritualem* reddit, eumque Deo efficit gratum: Secundum quod, uti Ecclesiam cum omnibus bonis unit, *ita eam ab omnibus malis segregat.* Quod ad primum, cum Spiritus Sanctus sit Spiritus supplicationum, uti appellatur Zach. 12, 10. & adoptionis, testante Apostolo

Rom.

Rom. 8, 15. & alibi, fideles *docet & facit orare.* quo nomine idem S. Paulus ad Galatas cap. 4, 6. ſic alloquitur fideles: *quoniam eſtis filii, emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra, clamantem: Abba, Pater.* Alias vero dicitur, quod *ſuſpiriis inenarrabilibus pro iis intercedit.* quæ eodem redeunt, nam qui ſcrutatur corda, novit quid ſapiat ſpiritus. Porro *ſpiritualem* facit adorationem & cultum noſtrum, ac vere Evangelicum, nulloque loco, tempori, aut ceremoniis externis alligatum; atque ea ratione ſolummodo hoc tempore Deo gratum. *Deus* enim *Spiritus eſt*, ut ait Salvator Mundi, *& in Spiritu & veritate vult adorari. & tales quærit Adoratores* Joh. 4. Atque inde eſt illa *precationum efficacia*, quæ *multum valet apud Deum* Jac. 5. quod illuſtribus earum effectis ibidem demonſtratur. tum quia Pater non rejicit preces ſuorum filiorum Luc. 11, 11 tum quia non poteſt non delectari opere Spiritus ſui, qui illas in corde fidelium ſuſcitat, format, & formare docet ſecundum Dei voluntatem.

XXVI. Poſtremus communionis Spiritus Sancti effectus, quem mihi hic attingendum duxi, iſte eſt, quod ubi Eccleſiam Chriſti arctius cum Deo conjungit, eamque magis Deo & Chriſto ſibique aſſimilat; *ibi magis illam à ſeculo corrupto ac perverſo, à mundanis opinionibus & moribus. malorumque hominum unione & communione ſejungit ac ſeparat.* Hoc vero in uno illo exemplo Eccleſiæ primævæ Hieroſolymitanæ, quæ effuſiſſime Spiritu Sancto (ut Chriſti phraſi utar) baptizata fuit, omnium maxime eſt conſpicuum: ubi cum nimirum Spiritus

Sanctus multitudinem credentium, omniaque istius Ecclesiæ membra in unum cor & animam univisset, ita ut nemo quicquam suum proprium esse profiteretur; simul omne alienum, quod ejus gratiam mentiebatur, eoque ipsi Deo cordium inspectori, qui per Apostolos operabatur, illudere velle videbatur, morte exemplari & violenta ab illius etiam externa communione & professione separavit Act. 5. Quo evidenti Spiritus Sancti effectu tanquam visibili argumento probatur, illum esse ignem consumentem, qui ubicunque virtutem suam plenius explicat in Ecclesia, ibi quoque purius omnia impura & à se aliena consumit, vel ad judicium, vel ad salutem animarum, semperque ad Ecclesiæ suæ bonum. Et quemadmodum ignis naturalis proprium est, aurum verum à quovis alieno metallo disjungere: ita hujus ignis cœlestis ac divini est, bonos à malis, aut malos à bonis separare: sicuti frigoris & glaciei infernalis est, malos bonosque (sed non satis bonos) quasi congelare & inter se unire.

XXVII. Nihil nunc mihi hic superesse video, nisi ut juxta illam descriptionem, quam satis late supra extendi, de Christianæ Ecclesiæ dignitate, seu potius dignatione Domini, qua illam tantopere extulit & dilexit Deus Pater, tam incomprehensibili gratia & amore prosecutus est Deus Filius, tamque admirabili & salutifera sua communione dignatus est Deus Spiritus Sanctus, generatim cum statu aliarum Ecclesiarum, & speciatim cum statu nostræ Ecclesiæ, quam Deus noster in unitate sui Spiritus publice & quasi in conspectu totius Orbis congre-

gregavit Herevorti, & ad cujus communionem & unionem me quoque per ineffabilem ſuam benignitatem perduxit, mecum tacite conferens, ſingularem SS. Trinitatis erga me dilectionem & beneficam diſpenſationem, meamq; εὐκληρίαν ſive beatam ſortem grato animo agnoſcam, & publico hoc Scripto, ad Dei gloriam, celebrem. Eoque, ſi fieri poſſit, meis amicis, meisque nuper in rerum Eccleſiaſticarum exercitiis conſortibus, qui hanc ſpreverunt, aut nunc ſpernunt, genuinam veritatem perſuadeam.

XXVIII. Illud vero me difficulter conſecuturam ſcio; niſi illi depoſito omni carnali judicio & affectu, ſimulque neglectis falſis mundanorum hominum teſtimoniis, qui quod ignorant blaſphemant, verum dicenti credant, hanc noſtram Eccleſiam eſſe vere Evangelicam renaſcentem, ad exemplar primæ Hieroſolymitanæ, tum quoad ejus Anteceſſores, tum quoad totum ejus corpus quam fideliſſime efformatam: quæ indies non tam hactenus numero, quam gratiâ Spiritus Sancti, omnia renovante, atque aliena ſeparante, creſcit, & omnes numeros veri Chriſtianiſmi adimplere incipit. quicquid caro & ſanguis, quibus non ſapiunt ea quæ ſunt Spiritus Dei, opponant. Deinde parum etiam obtinebo, niſi fidem habeant ſacris literis, atque ipſi veritati, addam & ſuis publicis Confeſſionibus aſſerentibus, cœtus illos eccleſiaſticos, in quorum ſinu forte nutriti ſunt, aut ullos alios, ubi Chriſtus ipſa Veritas, ejusque Spiritus, eoque vera fides & Caritas non regnat & imperat, pro Chriſtianis Eccleſiis non

non esse habendos. Denique nihil effecero, nisi & intrepide oculos aperiant, ac libere mecum, coram Deo in ejusque lumine dijudicent statum Ecclesiarum hujus ævi, an ipsis vere conveniant essentialia & propria veræ Ecclesiæ Christi. Exemplo enim Pontificiorum didicimus, quam difficile sit non optima de sua Matre credere aut confiteri.

XXIX. Remotis itaque omnibus præconceptis judiciis ac sententiis, videamus ubi vere Christiana Ecclesia inveniri possit in terris: cum illam longissimo tempore vel in deserto, vel inter privatos parietes, aut in solitariis pectoribus, ut tempore Eliæ, latuisse dixeris; vel etiam in cœtibus mundanis aut superstitiosis, ubi tantum quoad materiam exstitit; ut lapides vivi in ædificio ex ligno, fœno, stipula & lapidibus mortuis exstructo, quocum nihil nisi, nescio quam cohæsionem externam ac stramineam, commune habent. Videamus, inquam, ubi talis sit Ecclesia, fidelis Christi Sponsa, Dei dilecta Filia, & Templum Sp. Sancti? Quam Deus ab æterno, juxta æternum suum Decretum, dilexit amore æterno; cui *in Christo benedixit omni benedictione spirituali in cœlis, &* (ut omnia Apostoli verbis ad Ephesios explicem) *quam ante fundationem mundi elegit, ut esset sancta & irreprehensibilis coram ipso in caritate, postquam illam prædestinavit ad illam adoptandam sibi per Jesum Christum, juxta beneplacitum voluntatis suæ: ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua illam gratam sive amabilem reddidit in Christo. Et quam credentem Evangelio obsignavit S. Spiritu promissionis.* Quæ omnia S. Paulus Ephesinæ Eccle-

siæ

siæ particulari applicat & haut vane tribuit Eph. 1. concludens, *Quæ est Corpus ipsius, plenitudo omnia in omnibus adimplentis.*

XXX. Jam pios omnes qui in publicis & frequentissimis cœtibus commorantes, se viva Ecclesiæ Christi membra juxta præscriptum Catecheseos Heidelbergensis profitentur, maxime vero vere regenitos ac vitam Christi, & Christo soli viventes interrogatos velim, an coram Deo testari possint, illos cœtus publicos quibus se addixerunt, aut quos præterea propius norunt, tales esse quibus talia nomina ac propria, secundum illorum judicium intimum suæ conscientiæ jure merito, eorumque statui convenienter assignari possint? An ex animo credant illos quoad universale eorum corpus (nam paucos hypocritas aut temporaneos, qui ibi nullo numero latere possint, non moramur, dum exemplo non nocent) esse tales, inquam, ut eos pro peculiari illo populo habere possint, quem Pater Filio suo, ab omni iniquitate redimendum dedit, ipsumque victimam pro illorum peccatis fecit? & quem JESUS sanguine suo redemit, ac seipsum dedit, *ut illum eriperet de præsenti seculo malo, secundum voluntatem Dei & Patris nostri?* Gal. 1: 4. ita ut *non sit de hoc mundo, quemadmodum Christus non est de hoc mundo* Joh. 1 : 16. *& mundus ipsis crucifixus sit, & ipsi mundo? Qui enim Christi sunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.* Et *an Spiritu Christi vivant & ambulent?* Quæ de omnibus Christianis asserit Apostolus Gal. 5: 25. An præterea vivam Christi imaginem exprimant, *cum ipso mortui & resuscitati* Rom. cap.

cap. 6. & *in cœlum transpositi sint* Col. 3. Et an tandem *non sibi sed Deo vivant*, *& Christus in illis vivat* Gal. 6. Vel juxta Catechesin Quæst. 32. *Christi unctionis sint participes*, *ejus Nomen confiteantur*, *seseque vivas ipsi sistant gratitudinis hostias*, *& contra peccatum Satanamque pugnent*?

XXXI. Quod si ejusmodi cœtus Ecclesiastici nobis monstrari possint, cum eis toto corde & anima unita est nostra Ecclesia, atque Ecclesiastice cum illis uniri contendet. Ego certe fateri debeo, me talem alibi non invenisse. Et quamvis Ultrajectensem inter frequentiores minime corruptissimam putarim: tamen mihi inter tot millia membrorum decem invenire non contigit, qui ita per vivam fidem divinumque amorem cohærerent (ne quidem in collegiis privatis) ut unum cor & anima dici potuerint. Talem vero Ecclesiam qualem hic requirimus, si quis neget dari posse hoc tempore corruptissimo in terris, ob multitndinem membrorum communicantium, eos uno verbo interrogo: an Christus ullo unquam Pastori mandaverit, ut plures numero oves in suum ovile reciperet, quã aut nosse aut pascere posset? Certe ex Christi parabola didicisse oportuit, illum pro bono Pastore non habiturum eum, qui oves suas non numerat, ac, si unam de centum perdat, illam non illico cum magna industria quærat; atque inventam humeris suis cum gaudio magno imponat: præsertim cum Pastor ille pastorum aliis sic præiturus describatur Jes. 40. & præiisse narretur Joh. 10.

XXXII. Verum maxime serio eos fideles, uti merito nominari debebant omnia Ecclesiæ Chri-

Christi membra, si ipsa fidelis esset, qui communioni fidelium cum infidelibus patrocinantur, quive in eo casu mihi non satis fideles videntur, interrogatos velim, quonam vinculo unionis cum mixtis ac mundanis illis cœtibus cohæreant? An asserere audeant se intimo cordis affectu, ac conformitate divini amoris erga divinam veritatem ac cultum spiritualem intrinsece, ut fieri debebat, illis conjungi? Non puto quenquam tam perfricatæ fore frontis, si pectoris sui penetralia adeat; ut tale vinculum Spiritus Dei, qui sola corda fidelium colligat, se illi universo cœtui alligare dicat, ubi Spiritus Mundi jam dudum regnat, ac mundani passim occurrunt, qui illum nexum unionis, qui inter duos aut tres forte fideles agi possit, interrumpunt; ita ut illos, in ordine ad universum illum cœtum, corde & affectu disjungant. Quonam igitur, obsecro, ligamine ipsi uniuntur? Respondebunt, professione ejusdem fidei ac Religionis dictæ Reformatæ vel Evangelicæ; idque ad communionem Ecclesiasticam ipsis sufficere. Sed per quam, ab ipsis peto, fidem? Eorum nomine respondeo, per eam, ut Theologi distinguunt, non *qua creditur*, hoc est corde; sed per eam, *quam credunt*, hoc est per doctrinam, quæ in libris & chartis continetur, atque inde in mente depicta, & per confessionem ore prolata est. Nam veram ac vivam fidem, principium novæ vitæ supernaturalis, qua homo ex se ipso per Christum & Spiritum Sanctum in Deum transfertur, ad credendum omnia quæ Deus revelat, & ad agenda & patienda quæcunque Deus vult, munda-

danis membris, qui fere totum illud córpus componunt, adſcribere nemo poteſt. Anne igitur vident, ſe eo ipſo chartaceam ac ſtramineam quandam ſtatuere tum unionem Eccleſiaſticam, tum Eccleſiam? Cœtum cujus membra, imo caput eſſe videas Chriſti adverſarios, qui dum illum ore profitentur, opere ipſum abnegant, qui ex ſubditis regni Satanæ maximam partem congregati ſunt, qui & ipſe de Chriſto egregiam edidit confeſſionem, *quod Filius eſſet Dei Altiſſimi*, & *Sanctus Dei*; ſed qui perinde ac ipſe Diabolus exemplo Chriſti impediri debebant, ne nomen Domini ſumerent in vanum; cum Dominus deteſtetur eos qui ore ac labiis ei appropinquant, & corde ab ipſo ſunt remoti; illiſque omnibus interdicat tali profeſſione, Pſ. 50. *Quid enarratis mea inſtituta, & in ora veſtra recipitis pactum meum? quia diſciplinam odiſtis, & rejicitis verba mea retrorſum.*

XXXIII. At videor hic quoſdam mihi exprobrantes audire, quod judicii caritatis videar immemor, quæ juxta doctrinam Apoſtoli 2. Cor. 13. *Omnia credit, omnia ſperat, omnia fert. nec malum ſuſpicatur.* unde contra caritatem peccare ſubſumunt eos, qui de membris, ut putant, Eccleſiæ Reformatæ, quæ & baptizata, & ad Cœnam, ordine ordinario, recepta ſunt, non omnia optima credunt & ſperant, juxta ſententiam nimirum Apoſtolicam. Verum illam neque mundanis, neque ipſis, favere videbunt, poſtquam recte inter veram & puram Caritatem & inter naturalem propenſitatem ac perverſum amorem creaturarum diſtinxerimus. De vera enim & pura caritate Chriſtiana tantummodo

agit

agit Apoſtolus, quæ pro ſuo principio habet gratiam Dei regenerantem, pro ſuo objecto ſolum Deum, ſive in ſe ipſo ſive in creatura ſe manifeſtantem; ac pro fine ſolam Dei gloriam; quæ unice locum habet inter veros fideles, & cujus exercitia & propria deſcribit S. Paulus, *quod nihil mali ſuſpicetur, &c.* Hoc eſt, quando bona in fratribus ſuis in Chriſto videt, ea vere bona eſſe credit, & cum mala in illo decreſcere videt, ea æquanimiter tolerat; atque in futurum omnia bona de eorum progreſſu & profectu in vita Chriſtiana ſperat. Nec remiſſe amant fratres ſuos vere Chriſtiani; ſed quia in omnibus ſibi proponunt Chriſti exemplum, quo majorem caritatem, quæ Dei ipſius Caritas eſt, nemo habet, vitam & animam ſuam pro ipſis dare non dubitant. Sic enim argumentatur dilectus Chriſti Diſcipulus 1. Joh. 3: 16. *Per hoc novimus Caritatem Dei, quod ille animam ſuam pro nobis depoſuit: Nos igitur debemus pro fratribus animas deponere*: adeoque terminos veræ caritatis non contrahunt, ſed extendunt & intendunt circa idem objectum, quod Deus & Chriſtus amat; idque eo gradu quo quis Chriſto proximus eſt, quem in eo præſentem ac quaſi viſibilem conſpicere debent. Jam vero illos, qui tantopere Caritatis limites extendunt, ſerio interrogatos velim, an pro iis omnibus, quos pro fratribus ſuis publica profeſſione amplectuntur, vitam profundere ſint parati? ad quod lege Caritatis Chriſtianæ tenentur, ſi Apoſtolo aſſentiendum eſſe credunt, ſeſeque & alios iſtos ſibi confœderatos pro fratribus habent? niſi ſe actores cujuſdam fabulæ eſſe confi-

tes

teantur, ubi nihil ſecundum rei veritatem agitur. Nequid hic de bello inter ejuſdem profeſſionis homines jam toties renovato dicam, ubi ejuſmodi fratres Cain magis quam Chriſtum repræſentant, dum ſe veros eſſe inimicos, utrinque ipſo facto probant. Sed denique ab illis omnimodæ caritatis profeſſoribus aliud quid longe minus inquiram; an illis ſuis fratribus cuſtodiam vel adminiſtrationem ſuarum opum externarum ſine teſte aut catalogo concredere prompto ac fidenti animo vellent? Quod ſi negare eorum conſcientia jubet, anne palam vident, quam craſſe contra ſuam regulam, aliis datam, peccent; & quod eorum caritas erga ſuos fratres ſit admodum exilis, aut potius nulla, qui de ipſis ſuis fratribus mala ſuſpicantur, nec ipſos pro hominibus ſaltem civiliter honeſtis habent.

XXXIV. Ita ut omnis ille ardor, ſi ad examen revocetur, in vitium illud capitale reſolvatur, quod Apoſtolus de hiſce temporibus per Spiritum propheticum diſſerens, tanquam cæterorum radicem & fontem primo loco ponit 2. Tim. 3; 2. *Illud autem ſcito, fore ut extremis diebus inſtent tempora moleſta. Erunt enim homines* NB. *ſui amantes, avari, glorioſi, ſuperbi, maledici, &c.* Ubi perſonatam illam caritatem, quæ nihil aliud quam *amor ſui ipſius* eſt, tanquam Reginam, Satanæ progeniem, magna ſtipante caterva, ut toti Mundo imperantem conſpicimus, & non raro velo pietatis ita tectam & exornatam videas, ut ipſi ad omnia ſacra pateat introitus; atque ut omnium actionum, omnis ſtatus ac ordinis hominum prima ro-

rota, & primum quoddam Mobile ſit, cum ſua mancipia proprii commodi cauſa, non ſolum homines bonos maloſque, ſed & Deum ipſum amare doceat ac permoveat. Ita ut ad proprium ſuum bonum ac ſalutem divina atque humana omnia, tanquam ultimum ſuum finem ſubordinent, ſeſeque revera in falſos Deos erigant; de gloria Dei, quæ tamen verus & unicus omnium rerum finis eſt, parum ſolliciti. Quare merito iſti Caritati humanæ opponimus odium illud divinum, quod Chriſtus ab omnibus ſuis diſcipulis prærequirit Luc. 14, 26. *Si quis venit ad me, & odio non habet uxorem & liberos, & fratres & ſorores, atque etiam ſuam ipſius animam; is non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Concludam itaque cum S. Auguſtino, Chriſtum alloquens: *Dignus non eſt, ut te amet, qui te ſolum non amat; aut qui quicquam amat, quod propter te non amat.*

XXXV. Non multum me morabuntur ii, qui ut communionem illam promiſcuam cum bonis maliſve ſervent incolumem, ad veram illam de imperfectione humana doctrinam, ſed à vero ſuo fine detortam, recurrunt, eaque miſere abutuntur, ad parcendum iniquitati ac veteri homini, tum in ſe ipſis, tum in aliis; unde vix quenquam hodie videas, qui ſincere ſibiipſi ac Mundo bellum indicat, cum tamen ſalutaris ejus uſus ſit, ut ſuæ indignitatis conſcii, eo promptius ſe ipſos abnegent, ſeſeque annihilare coram Deo diſcant, & ad Chriſtum Redemtorem ac Conſummatorem fidei, à ſe ipſis tranſeant; *in quo omnia poteſt*, quiſquis ejus gratiam & robur amplectitur. Nec magnope-

re curandos putem illos, qui se sibi tantum intentos asserunt, aliosque in praxi communionis Ecclesiasticæ respicere negant, cum *uniuscujusque sit*, ut ajunt Apostoli verbis, *suum portare onus* Rom. 14. unde non defuere, qui se minime turbatum iri gloriarentur, etsi ipse Diabolus in usu Cœnæ eorum latus clauderet. Ad quæ verba fateor, me cohorruisse: præsertim cum ab iis, qui pii audiunt, S. Scripturæ axiomata in maximũ pietatis dedecus sic perverti viderem. Sed ipsi viderint, ne rugienti illi leoni, qui omnes circumit, quærens quem devoret, nimis facilem parent aditum ad illos cœtus, ubi quasi solenni modo incarnatis diabolis, hoc est, mundanis ac irregenitis, qui periculosius & familiarius nocent, sua ibidem quasi loca occupanda concedunt. Cum interim, si suæ credant Catechesi, iram Dei, eo quod profanos recipiunt ad Sigilla Fœderis N. T., in universum cœtum detrahant. Interea oculo simplici videamus locum Apostoli, ejusque mentem non alio ivisse inveniemus, quam ut quorundam fratrum reprimeret temeritatem, ne fortiores contemnerent imbecilliores ob teneritudinem conscientiæ infirmæ, in rebus adiaphoris; & imbecilliores fortiores judicarent ob rectum usum earundem rerum, scil. indifferentium, cibi & potus, *in quibus regnum Dei consistere* negabat: cum in illo casu particulari voluntatem Dei, in ejus verbo quidem revelatam, sed ipsis adhuc eo tempore obvelatam, & ab Apostolo detegendam, ipsisque humiliter discendam, placide expectare debuissent. Si quis autem hanc regulam, quasi universalem,
ad

ad omnia promiſcue adhibere velit, is profecto omne vinculum ſive Politicæ, ſive domeſticæ, perinde atque Eccleſiaſticæ communionis ac ſocietatis diſſolvet ac ſuſtollet, quæ revera omnes curam boni communis à ſingulis ſuis ſociatis requirunt.

XXXVI. Poſtremo ex illis, qui ſe in medio mundanorum fratrum adeo ſecuros eſſe jactitant, & quibus alba an atra ſint Eccleſiæ ſuæ membra, ignorare quid indifferens eſt; hoc unum addiſcere velim, an publicis ſuis Confeſſionibus, quibus, cum primum ad communionem ſuæ Eccleſiæ recepti ſunt, vel manu ſeu facto, vel verbis ſubſcripſerunt, præbuerint cordis aſſenſum, ac verum dicentibus credant? cum Confeſſio Belgica de Eccleſia particulari, cui ſe omnes fideles adjungere jubet, pronunciet, quod ſit *congregatio fidelium in unitate fidei unita, quæ in Dei notitia atque obedientia quotidie accreſcit* Art. 28. Et paulo poſt, *Credimus, quia hic cœtus eſt congregatio eorum qui ſalvantur, neminem debere ſe ipſum privatim continere, ſed ſe illi adjungere &c.* Quæ verba optime conveniunt cum verbis Hiſtoriæ ſacræ Act. 2:47. *Dominus quotidie addebat Eccleſiæ, qui ſalvi fiebant.* Quod ſi id affirmant, ut certe debent, niſi nihil ſerii aut ſinceri ſe tunc egiſſe fateantur; qui fieri poterit, ut, cum ſe undique mundanis & irregenitis, *qui non ſalvantur*, circumcingi aperte vident, nullum ipſis ſuboriatur dubium, an etiam ſe dederint veræ Chriſti Eccleſiæ? quam congregationem eſſe fidelium publice confeſſi ſunt? Et quibuſcum ſe unum corpus efficere, ut multa grana in unum panem piſta, & mul-

multæ baccæ uvarum in unum vinum compresſæ, unum liquorem efficiunt, ut habet Liturgia Belgica, toties profitentur, quoties aſſenſum ſuum prælegenti Concionatori ante uſum Cœnæ de novo præbent. Sed pleroſque hodie eo eſſe animo videas, ut citius ſuas Confeſſiones publicas in omnes detorquerent formas, quam ut veritati, ipſis non ſatis acceptæ, æquum præberent aſſenſum. Verum ne longius in hoc argumento progrediar, ex præcedentibus concludam, neminem non videre, ſtatum hodiernorum cœtuum profecto eſſe corruptiſſimum, & veræ Eccleſiæ Chriſtianæ atque Evangelicæ Ideæ minime conformem: meamq; adeo ſortem eſſe longe beatiſſimam, qua mihi veram ac genuinam Eccleſiam Chriſtianam, qualem ex parte ſupra repræſentatam vidimus, reperire, eique me conjungere, ſingulari Dei mei beneficio, contigit. Quod ex ſequentibus, uti puto, magis magisque perſpicuum omnibus fiet.

CAP. VI.

Vitæ meæ anteactæ reſumitur Narratio, & ad præſentem meum ſtatum tranſitus aperitur.

CUm ſuperiori capite ob argumenti generalis affinitatem & connexionem faciliorem, quædam non prætereunda circa vitæ meæ particularis mutationes præcipuas, hucuſque diſtulerim, ea mihi nunc paucis hic proſequenda arbitror. Et primo quidem, quod poſt obitum di-

dilectissimæ meæ Matris, optimæ matrisfamilias atque œconomæ (ut ceteras ejus virtutes silentio celebrem) ad vitam magis activam à nimis contemplativa ac literaria traducta fuerim, cum mihi familiæ & rei familiaris cura magnam partem imponebatur; unde mihi variæ occasiones ad exercenda opera, ut ajunt, caritatis, ægros sc. invisendi, dolentes consolandi, ignorantes instituendi, pauperibus succurrendi eleemosynis, aut etiam ab officio aberrantes dehortandi, & ad pietatem ac virtutem adhortandi, exortæ sunt, quæ, quamvis juxta meam notitiam sincere exsequerer: fateor tamen pluribus defectibus laborasse, meque valde imprudenter, tum ob ignorantiam officii & status mei, tum ob deceptionem aliorum, quibus medicinam facere satagebam, hæc omnia quamplurimum egisse.

II. Unum tamen rarius ac minime dubium Caritatis veræ exercendæ argumentum, mihi divinitus oblatum, hic prorsus omittendum non puto, quod, cum mihi binæ superstites essent materteræ, quas nobiscum in unam familiam junxerat tum sanguis & benevolentia, tum & Germanici belli commune incendium, utramque Deus oculorum luce viginti plus minus annis ante earum obitum, qui natu majoris in suæ ætatis annum XCI. alterius in LXXXIX incidit, fere in integrum privavit: quæ ratio fuit, cur eas totidem annis, præsertim vero quinis ac denis postremis, mea præsentia & auxilio, quo indigebant, vix una die frustrare potuerim. Et quamvis earum, simulque rerum domesticarum curæ à meis studiis & occupatiun-

culis ſolitis pene in totum me avocarent; tamen in eo inſignem Dei mei erga nos benignitatem agnoſcere debui, quod nos tam arcto ac dulci Caritatis vinculo colligaverat, ut tot anni mihi profecto pauci dies viſi fuerint. Cui & hoc alterum, quo me præcedentia ducunt, adjiciam: quod cum eiſdem, ut ut infirmis, totaq; noſtra familia, duce Fratre meo unico, iter Coloniam Agrippinam ſine ulla moleſtia confecerim; cum propter ablatam ipſis poſſeſſionem antiquam, cujus recuperandæ ſpes erat, earum præſentia ibidem deſideraretur. Quamvis autem in illa urbe ab omnibus Pontificiorum Sacris viveremus remotiſſimi; tamen odium ac invidiam multorum hominum ex eo didicimus, quod rumorem de mea Religione, in Pontificiam ſc. mutata (calumniandi libidine) primum Ultrajecti, ac dein ferme nullibi non terrarum exinde ſparſerint; qui ad Colonienſes, ubi contraria rei veritas nimis erat nota, ultimo, ac quaſi cunctans & verecundans pervenit. præterea factum, ut hac occaſione de amore nimio urbis Ultrajectinæ poſt reditum noſtrum aliquid remiſerim: atque etiam à peregrinationibus, quæ mihi poſtea difficiliores, non rerum temporalium, ſed bonorum ſpiritualium cauſa, erant ſuſcipiendæ, minus abhorruerim.

III. Omnium autem dulciſſima mihi vita noſtra viſa eſt, quando poſt varias turbas, in Eccleſia Ultrajectina exortas, quibus bini Concionatores optimi illa urbe ejiciebantur, vitam tranquillam ruri degere cœpimus. Ubi per biennium, ſi recte memini, à mundanis conſortiis pene in univerſum liberati, cum meis mater-

terteris & Fratre, pietatis & noſtri amante, binisque famulis ſat probis, quaſi Eccleſiolam quandam Chriſtianam conficiebamus. Verum quando Deo placuit, noſtras materteras, unam paucis diebus poſt aliam, in cœleſtem ſuam familiam transferre (ita enim me loqui ſinit inſignis earum patientia, fides, & caritas, atque in omnibus cum voluntate divina conformitas) nobis revertendum fuit Ultrajectum, ad vetus noſtrum domicilium: idque ideo maxime quia Fratri meo iter longum, quod jamdudum in animo volverat, in Germaniam Helvetiamque erat ineundum.

IV. Itaque jam mihi ſoli commorandum fuit, cum binis meis ancillis, Ultrajecti; ubi jam multa in deterius erant mutata, ob relictam in plurimis primam caritatem & zelum priſtinum: ac quotidie in Eccleſiam irruentem mundanum genium, cui numerus bonorum reſiſtere minime par erat: atque omne de ſuccurrenda cauſa Dei in Eccleſia conſilium, non niſi in miſeras & invalidas deſinebat querelas. Interim meum erat ſolatium, quod certa eram, Fratrem meum nullius rei terrenæ gratia, ſed ex ſincero Dei amore, ejuſque gloriæ promovendæ ſtudio, incommodam iſtam peregrinationem ſuſcepiſſe, ideoque ejuſdem diuturnam abſentiam, ut divinæ Voluntati conſentaneam, placide & bono animo ferebam. Poſtquam autem Baſileam feliciter perveniſſet, atque ibidem maximam partem ſcopum ſuum attigiſſet, magnum illum tenuit deſiderium aliquas præterea illuſtriores Academias luſtrandi. Quando autem ea occaſione ab eximiis quibuſdam Viris ipſi nunciatum

tum esset, Genevæ eo tempore, inter antiqua istius Urbis monumenta, novum aliquod, sanctâ ejus curiositate non indignum, exhiberi spectaculum; insignem scilicet verbi divini Præconem, qui antiquæ Ecclesiæ Doctorum referret magnanimitatem ac constantiam; ita ut præsenti seculo, stupenda quadam libertate & fortitudine, illius ad universalem Antichristianismum turpem defectionem, absque ullo ad creaturarum amorem vel odium respectu, demonstraret; non potuit ab animo suo impetrare, quin ejus videndi gratia promto proposito Genevam contenderet. Quod consilium ejusque exsecutionem mihi per suas literas communicavit, indicans se Genevæ fama majorem invenisse Christi Servum D. de la Badie, ejusq; hospitio amanter esse exceptum: & quamvis cetera Genevam frustra in Geneva quæreret: tamen illum sui suscepti laboris minime pœnitere, quia ibi hunc Virum Dei invenerat, cujus parem, in munere suo veri Pastoris, tam sancta generositate atque imperturbabili constantia adimplendo, se in omni vita vidisse neminem firmiter asserebat. Cumque ibidem aliquamdiu commoraretur, præstantissima ejus rei per literas suas nobis recensuit specimina: quæ me efficacius communis tum Christianismi, tum præcipue Pastoratus docuerunt defectionem.

V Postquam autem carissimus meus Frater ad nos rediisset incolumis, multa nobis de eodem Dei Ministro narravit, hoc tempore plane inaudita; quæ piis omnibus admirationem, & quibusdam Pastoribus desiderium saltem talia

imi-

imitandi, concitabant: ſed ſimul atque oculos ad univerſaliſſimam ſuarum Eccleſiarum corruptionem conjiciebant, ſpem omnem eas reformandi, quo iſta paſſim tendebant, protinus deponebant. Placuit autem Deo noſtro, ſummo rerum omnium Arbitro, dilectiſſimum hunc meum Fratrem, ſuumque fidelem famulum, ſeſqui anno poſt ſuum reditum, per mortem vere Chriſtianam, quæ ſinceram ejus pietatem coronabat, ex hoc corrupto Eccleſiarum ſtatu, & malorum omnium colluvie ad cœleſtem Patriam, ſuamque perfecte ſanctam Eccleſiam tranſponere. Me vero per illud vivum ac domeſticum exemplum conſtantiſſimæ fidei, & invictæ caritatis Chriſtianæ, quibus, quaſi in conſpectu ipſius mortis & inferni, de omnibus ſuis hoſtibus triumphum agebat, ita in veræ fidei ac caritatis praxi corroboravit divina gratia, ut nihil mihi rerum terreſtrium amplius cordi fuerit. Sed unicum illud me tantum male habebat, quod me, aliosque qui ſanctiſſimo nomine Chriſtianorum magnopere delectabamur, non ſatis convenienter vivere divinæ noſtræ profeſſioni animadverterem.

VI. Hoc autem rerum ſtatu, Deo viſum fuit ita res diſponere Medioburgi, ut vacante ibidem munere Paſtoris in Eccleſia Wallonica, D. de la Badie, cujus admiratores nuſquam non inveniebantur, ab eadem eligeretur, eoq; ipſi vocatio iſta offerretur Genevæ. Et quamvis plurium eſſet exigua ſpes inſignem illum ſervum Chriſti hanc vocationem accepturum; ut ſc. ab Eccleſia corrupta ac mundana, ad aliam ejuſdem ferme commatis tranſiret; tamen hoc erat

erat in Dei decretis, ut fidelis hic ejus Minister, qui in Ecclesia Pontificia primum satis diu ejus Reformationi operam navarat, &, postquam ad Reformatam, ut doctrinâ puriorem, transiisset, viginti circiter annis in Galliis moribus ejusdem reformandis desudasset, tandem idem in Zelandia aliisque Provinciis fœderatis tentaret. Certum quidem est, ibidem, ac præsertim Medioburgi, eo tempore quo in illa Ecclesia Guilielmus Teeling, mundani fastus ac profanitatis acerrimus hostis, audiebatur, atque aliis præerat, pietatis studium, & reverentiam quandam Religionis viguisse; eoq; istam civitatem ceteris Pietatis laudem præripuisse: unde spes erat fore, ut per hoc cœleste Ministerium flammam novam conciperent dispersi in Ecclesiis igniculi, & novi insuper concitarentur; cum nondum ibidem homines de sua infidelitate erga Christum, ut jam erant Genevenses, essent convicti. Quando vero Ultrajectinis concionatoribus innotuisset hæc D. de la Badie ad Zelandos vocatio, iique non ignorarent, Fratre meo superstite inter nos literarium extitisse commercium, mihi auctores fuere, ut meis quoque literis illi significarem, illius opem & auxilium summopere ab Ecclesiis Belgicis, maxime vero Wallonicis, quæ fere bonis Pastoribus destituebantur, desiderari: ego vero, eorum nixa auctoritate, id serio omnibus quibus poteram rationibus peregi: Verum parum effecissent omnes rationes ac persuasiones externæ, nisi Deus per internam vocationem flexisset ejus animum, ad vocationem externam amplectendam. Itaque vocem summi Pastoris in-

tel-

telligens, eique obſecutus, fideliter ſecutus eſt. Omnibus vero impedimentis, quæ illum remorari poterant, ſuperatis, longum & periculoſum iter ſupererat: ſed huic etiam providerat divina Providentia, ita ut illi non deeſſet proborum virorum ſat numeroſa cohors, quæ ſe hujus viæ comitem uſque in Palat natum offerebat. Nec exiguum huic fido Dei Famulo erat levamen ac ſolatium, quod univerſæ ſuæ peregrinationis inſuper conſortes haberet D. Yvon & D. du Lignon, quos Deus illi conjunxerat arctiſſimo ſanctæ unionis vinculo, in Opere Dei ei futuros brevi fidos adjutores & cooperarios, uti hoc conſilium felici eventu comprobavit divina eorum ad verum ac ſanctum Paſtoratum vocatio. Quo comitatu feliciter pervenit ad fœderatas Provincias, & primum ad civitatem Ultrajectinam.

VII. Ubi à Profeſſoribus ac Doctoribus Theologiæ DD. Voetio, Eſſenio, Netheno, aliisque pietatis cultoribus in meis ædibus, quas primum adibat novus ac gratiſſimus hoſpes, amice ſalutatus, & cum exoptatiſſimæ ejus præſentiæ congratulatione exceptus eſt. Cum autem ſe non ſine fructu in illa urbe verſari animadverteret, ibidem decem, ut puto, diebus commoratus eſt, ac tum privatim cum Profeſſoribus ac Concionatoribus, aliisque pietatis ſtudioſis, varia ac multa de Chriſtianiſmo hodierno ejusque, in primis vero Paſtoratus, Reformatione neceſſaria diſſeruit; tum publice omnes ſimul ædificans præſtantiſſimis ſuis concionibus, quæ puriſſimis ſcatebant veritatibus, ac ſanctiſſimis ad veram & ſolidam pietatem

men-

mentibus ac cordibus inſtillandam incitamentis: ita ut tale Miniſterium divinitus formatum judicaremus, non minus ad noſtram privatam purioris Chriſtianiſmi formationem, quam ad univerſalem Eccleſiarum Reformationem; modo illius dictis ac monitis adhiberetur fides, & fidelitas ad Chriſtum per ejus os loquentem ſincere ſequendum. Ego certe ab ejuſmodi ſermonibus, qui nullam operam aut oleum lucernæ nocturnæ ſtudii humani, ſed neſcio quam ſimplicem, efficacem, ac nativum fluxum cœleſtis cujuſdam olei ex ejus pectore in corda audientium deſcendentem redolebant, per intervalla locorum, quo avocabantur, avelli vix potui.

VIII. Ideoque cum me illa provecta ætate viderem, ubi omnis mora, vitæ Chriſtianæ purioris ſerio tam ſero amplectendæ, periculi eſſet plena, nec deſtituerer conſortio virginum nobilium, quarum una meæ, altera inferioris erat ætatis, ſimul Amſterdamum, ubi nos hujus Servi Dei exſpectabant conciones, unà cum noſtris famulis contendimus. Quo vero propius quædam genuini Chriſtianiſmi lineamenta in ejus Sermonibus conſpiciebamus, eò nos majus cepit deſiderium, univerſam & integram ejus imaginem pulcherrimam contemplandi. Ideoque eodem conſilio ac zelo, poſtquam noſtris rebus Ultrajecti provideramus, Medioburgum ſimul profectæ ſumus. ibidemque per binos circiter menſes commoratæ, atque iſtius Eccleſiæ wallonicæ, cujus Paſtoratum D. de la Badie tunc demum plene ſe accepturum proteſtabatur, cum ſe Mundo & ſibi mori, ac Chriſto vivere velle eſſet oſtenſura, quaſi rudimenta quædam no-

novæ creaturæ ad formam cœleſtis doctrinæ prototypum efformandæ conſpeximus. & niſi nos tum peſtis ibidem tunc graſſantis, quæ domum noſtræ proximam invaſerat; tum res noſtræ familiæ, nos exſpectantes Ultrajecti, ab aquis illis vivis avocaſſent, ægerrime certe tam brevi tempore inde potuiſſemus diſcedere.

IX. Interim appropinquabat tempus conventus Synodi Wallonicæ, Amſterdami habendæ, quo cum adveniſſet D. de la Badie, partes concionandi ipſi delatæ ſunt, cumque occaſione Textus Act. 20, 28. nimis libere & acriter, ut criminabantur Synodiſtæ mundani, Paſtores de ſuo officio monuiſſet; jure, ut forte æquum judicabant, Talionis illum variis accuſationibus onerare ſatagebant; quarum nunc iſtæ mihi in memoriam redeunt, primo quod doctrinam de Chriſti Regno glorioſo in terris, poſt converſionem ſcilicet univerſalem, gentium & Judæorum amplificando, nimis audacter & publice propoſuiſſet Eccleſiis: deinde quod ſanctitatem vitæ, perinde ac ſanitatem doctrinæ, eſſe requiſitum, & ſignum veræ Eccleſiæ publice quoque docuiſſet. præterea quod oblatæ illi ex improviſo Eccleſiæ Wallonicæ Confeſſioni, ipſis peculiari, erroresque nonnullos manifeſte continente, ex tempore ſubſcribere recuſaſſet.

X. Relictis vero hiſce controverſiis, quæ poſtea omnibus innotuere, ad illa redeo, quæ meum ſtatum propius tangunt, quod nimirum æſtate ſequenti cum quibuſdam pietatis amantibus Medioburgum iterum iter inſtitui, ibique viſibilem quandam & magnam in illo cœtu Wallonico mirata ſum mutationem; & quoad ſtatum

tum ſuum externum egregiam modeſtiam & humilitatem; quoad interna vero in quibuſdam inſignem cœleſtium veritatum notitiam, & zelum promovendæ Chriſti gloriæ: ſed plena meſſis quaſi adhuc in herba erat conſpicienda. Eo tempore D. Yvon ab eadem Eccleſia Medioburgenſi, ſuffragiis tam præſentis, quam antecedentis Synedrii, bonis omnibus exultantibus, in Paſtorem ejus, & Collegam D. de la Badie electus, & ab Eccleſia receptus & confirmatus eſt, poſtquam à Synodo examinatus, & propter doctrinæ ac vitæ ſuæ irreprehenſibilem puritatem approbatus fuerat. Ita ut ſuas vices concionandi, aliaque veri Paſtoratus munera, cum magno zelo, alacriter ac fideliter obiret. D. vero de la Badie præter alia argumenta, Epiſtolæ ad Romanos & Actorum Apoſtolicorum, quæ divino modo pertractabat, initium faciebat ſui exercitii utiliſſimi circa Puncta Fundamentalia veræ vitæ Chriſtianæ, quorum dimidiam circiter partem, me ibidem præſente, abſolvit; ſed cujus alteram partem in aliud tempus rejiciebat, omnibus pietatis vere amantibus ingens deſiderium eorum ultimæ perfectionis relinquens. Interim congregatâ ſequenti menſe Septembris Synodo Wallonica Naerdenſi, D. de la Badie, D. Yvon, & D. du Lignon (quamvis is ab eadem in ordinem Concionatorum pauciſſimis ante diebus ob magna ejus dona, quæ nulla hominum malitia ſupprimere poterat, eſſet receptus) atque univerſum ſimul Synedrium, duobus tantum, ni fallor, Diaconis exceptis, ob accuſatum ab omnibus Wolzogii libellum, ejuſque accuſationis revocationem, à

Sy-

Synodo ipsis jussam, sed recusatam, ab omni munere Ecclesiastico suspensi sunt. Quo jure aut injuriâ, quod jam Orbi universo non potest esse incognitum, postquam tot Scripta publica tum nostrorum Pastorum, tum Synedrii Medioburgensis, tum universarum Academiarum, Professorum ac Concionatorum, singulatim edita sunt, ego hic non proponam. Interea tamen illi omnes, qui suis propriis inserviebant affectibus, Dei decretum de liberando Opere suo, quo Evangelicam Ecclesiam ab omnibus ceremoniis ac jugis humanis eximere constituerat, inscii exsequebantur.

XI. Quarta vero æstate odium, quod vulgo vocant Theologicum, &, si pluritatem numeri spectes, Synodale non injuria dici poterat, eo processit audaciæ atque iniquitatis (quod Scripta publica clare demonstrant) ut Synodus Wallonica Dordrechti habita, Naerdensem proxime subsecuta, eximios hos Christi Servos, dignissimosque Pastores, una cum universo illo Synedrio, quod ex conspicuis & antiquis civibus Medioburgensibus maximam partem erat compositum, postquam illos omnes relictæ obedientiæ, Synodalibus sc. decretis præstandæ, de revocanda sua supra memorata accusatione, damnasset, ab omni munere Ecclesiastico deponere tentavit. Quod factum Synodale omnes profecto boni, nisi siqui forte per ignorantiam & consuetudinem, ejus potestatem, ut Pontificii Papalem, adorabant, tacite, & quidam etiam aperte, cum detestatione condemnabant; sed nemo ferme se satis fortiter ei, ut par erat, opponebat.

XII.

XII. Una tamen Civitas Verensis Mediobur-
gio vicina, hanc insolentem sententiam ipso fa-
cto correxit. Cum enim ejusdem Magistratus
propius & æquo animo totum hoc negotium in-
trospexisset, atque optime hujus actores & cau-
sas nosset, suffragante illi Ecclesia ibidem Bel-
gica & Anglicana, (Wallonica enim nulla istic
fuerat) eos in cives suos, & ad munera sua in
Ecclesia eorum Wallonica obeunda recepit, ei-
que plenam exercitii Religionis publici liberta-
tem largitus est. Verum cum Civitas vicina
magnum suorum civium, ad formandam hanc
Ecclesiam, videret concursum, qui binis se-
ptimanæ diebus trecenti & quadringenti non-
nunquam eo accurrebant, eoque ipsius facta &
inauditum agendi modum, quo statuerat, poli-
tico scilicet decreto, horum suorum civium &
incolarum querelas non esse audiendas in Sena-
tu, ne forte Synodi detortas vias propius nosse
devinciretur, sibi ab omnibus eorum auditoribus
ac fautoribus quasi exprobrari crederet; atque
insuper Synodistæ Wallonici omnem, quod
dicitur, lapidem moverent apud omnes, sive
Politicos, sive Ecclesiasticos, quo renascentem
hanc Ecclesiam Evangelicam, non ad ipsorum
canones & iniquissima decreta, sed ad exem-
plum antiquæ Ecclesiæ, & ad normam doctri-
næ meré Evangelicæ se componentem, in ipsi-
us quasi incunabulis obruerent: Civitas illa ma-
gna, jam sæpius nominata, ut hac, longe mi-
nore, erat fortior, & auxiliaribus armis cor-
roborata, bellum ei quasi indicere cœpit, pri-
mo quidem mandatis & monitis illam sibi subji-
cere tentans, ut scilicet istos Pastores, ad quos
tot

tot ejus cives accurrere, imo eodem migrare palam erat, ex sua jurisdictione relegaret, vel dimitteret; deinde varias addidit minas, quibus ejus proceres deterrere; & de illorum proposito & constantia dimovere conabatur: quos tamen sui juris conscios, parum obedientes experta est. Denique omnibus armis potius illorum civitatem se aggressuram ostendebat, quam ut Verensibus concederet, ipsius ingratiis quenquam protegere: contrà Magistratus Verensis suos cives minime invitos quasi novo juramento obstrinxit, ut se civitatis suæ privilegiis tuendis præberent fideles; quo factum ut armati, noctuque dieque vigiles, vim hostilem omniaque extrema exspectarent. Verum hi tranquillitatis amantes Dei Servi illos monuerunt, ne arma eorum causa contra potentiores converterent: ipsos enim quod attinebat, quando sic statuebat divina Providentia, ad discessum esse paratissimos. Magistratus igitur, cum non solum sibi, & suis aliis civibus; sed & hisce Dei Servis metueret, nequid forte acerbius de illis statuerent adversarii, etsi illi se rebus politicis minime immiscuissent: tandem ipsos, quamvis ægerrime, sed & cum honorifico pietatis ac modestiæ singularis Testimonio dimiserunt: Ego vero quamprimum audiveram, augustam quandam januam in alia hac civitate Zelandica Operi Dei esse reclusam, ac familias quasdam mihi cognitas, Medioburgo istuc migrasse, tali proposito eodem contenderam, ut & mihi ibidem ædes conducerem: si quidem causa Dei istic triumphare pergeret. Adeo me nihil amplius terrenum aut humanum detinebat, post-

quam Spiritus Dei efficaciam in Miniſterio hoc Evangelico recte guſtare cœperam.

XIII. Inde itaque hi fideles Chriſti legati, poſtquam Magiſtri ſui conſilium Zelandiæ, tribus aut quatuor jam annis ſatis diſerte aperuiſſent; alio migrarunt, eamque Dei judicio, & ſibiipſi, quæ ſe, magnam partem, ejus pace indignam demonſtravit, reliquerunt. Quidam tamen, quibus Chriſtus ſe propius per hos Dei Miniſtros revelaverat, conſtanter iis adhæſerunt, quorum aliqui ſe eorum itineris præbuere ſocios, alii mox Amſterodamum, ubi ſedem figere in animo habebant, illos ſecuti ſunt: imo centeni, præter ipſum Synedrium pene univerſum, ſe eos ſecuturos, atque habitationem ſuam eo translaturos ſerio pollicebantur, quamprimum eorum Miniſterio ſe frui poſſe, certiores facti forent. Me vero quod attinet, poſtquam Medioburgenſibus lugentibus valedixiſſem, paucis poſt diebus eoſdem ſecuta ſum Amſterodamum: ubi quia plures habebam tum amicos, tum conſanguineos, ſatis commode ad tempus commorari poteram. Cum vero eo adveniſſem, audivi Deum noſtrum ipſis requiem, valde neceſſariam, ob graviſſimum morbum D. Yvon, quo aliquot diebus ante diſceſſum eorum è Zelandia laborare cœperat, benigne paraſſe, in ædibus honorati viri, antea Eccleſiæ ibidem Walonicæ Senioris ſive Presbyteri, D. Iſaaci Bernaers, cujus familia mihi jamdudum erat amica. Qua occaſione omnes ibidem ſimul tum advenas, tum domeſticos conveni, & magna cum conſolatione eorum conſortio fruens, ſæpius privatis illorum exercitiis interfui: exſpe-

ſpectans interim qualem ſucceſſum Deus Operi ſuo ibidem eſſet largiturus.

XIV. Poſteaquam autem illos ſatis humaniter à Magiſtratu eſſe receptos, eorumque cauſam non indignam judicatam eſſe ejus cognitione ac protectione ab illuſtriori illius urbis Conſule D. van Beuningen, quem honoris cauſâ nomino, accepiſſem; Ultrajectum, meis rebus proviſura, properavi: ſed eo animo, fateor, ut, ſi Hollandia quoque hanc Dei cauſam, in gratiam Synodalium, opprimere perrexiſſet, ego, cum paucis illis membris Eccleſiæ Zelandicæ, qui propter ipſam, patriam reliquerant, huic renaſcenti Eccleſiæ me jungerem; quamvis illi uſque ad extremas Indias fuiſſet peregrinandum: ſat certa, me nullius boni ſpiritualis facturam jacturam, aut naufragium. Poſtea vero, cum Deus noſter Magiſtratuum corda in amorem quendam (de quibuſdam loquor) & benevolentiam erga hos Chriſti Servos flecteret, quo iis majorem libertatem procuraret: ita ut jam ipſis quædam exercitia, præter ſtricte dicta domeſtica, concederentur: conſilium meum de conducendis ibidem mihi & meæ famulæ quibuſdam cubiculis, cum Ultrajectino meo domicilio ordinario eſſem propinquior, ad animum revocabam.

XV. Mira autem divinæ Providentiæ directione accidit, ut me, Ultrajecti adhuc hærentem, quia cubicula commoda Amſterodami nondum erant inventa, inviſeret quædam mihi amiciſſima in Chriſto Soror, Hagienſis, quacum antea iter è Zelandia in Hollandiam confeceram; quæ magna quoque erat admiratrix

& amatrix Gratiæ potentis ac victricis, quam in Ministerio D. de la Badie degustaverat, & cujus regustandæ ingenti tenebatur desiderio: cumque spe non destituerer illam, per aliquod certe tempus, se mihi reddere posse comitem & consortem: eo instituto in urbem vicinam Amsterodamum profectæ sumus, ut nobis cubicula quædam, ædibus D. de la Badie, si fieri posset, proxima, acquireremus; sed ea frustra quæsivimus, quandoquidem tempus conductionis ædium effluxerat, atque omnia in nova illa parte vrbis erant vel occupata, vel imperfecta. Itaque nobis incomparabili bono, quod tum ad veram ac plenam Dei, & nostri ipsius; tum ad veri Christianismi notitiam summopere erat necessarium, prorsus erat carendum: vel illud nobis cum magna molestia perpetuæ cursitationis per plateas, eundo ac redeundo, erat redimendum. Quando vero apud D. de la Badie de illo incommodo haberemus sermonem, oculos in ejus ædes satis amplas conjicientes, ille Vir Dei nobis ostendit earum partem inferiorem, quam honestissima quædam provectæ ætatis vidua Medioburgensis una cum duabus virginibus, rem domesticam curantibus, sola occupabat; simulque nobis cubiculum commodissimum, ab aliisque divisum, amice obtulit.

XV. Hic itaque optima conclusione opus erat, nec consilium ineundum cum carne & sanguine, aut prudentia humana. Videbamus enim ex una parte optimam occasionem maximæ nostri ipsarum ædificationis; ex altera vero nos non latebat, si ita domum D. de la Badie subiremus, quan-

quanta ſubſecutura eſſet rabies malevolorum hominum, & præſertim eorum mundanorum concionatorum, qui hunc fidelem Chriſti Servum à ſua communione, tanquam eorum ordinis ac ſententiæ contemtorem, excluſerant: eoque, omnia quæ ipſius cauſæ favere videbantur, rapiebant in calumniam. Nec nos fugiebat, quanta vis & tyrannis eſſet moris hodierni, ſive conſuetudinis, à qua recedere videremur: cui neſcio-quis non mortalium tanquam Dictatrici, Imperatrici, ac veluti Numini ſubſit, ejuſque legibus pareat? Non etiam ego immemor eram ſententiæ D. Voetii, mei veteris amici, atque in caſibus Conſcientiæ conſiliarii, quam jam ante coram, ſatis nude detexerat, cum inſtitutum Paulæ, quæ cum filia ſua Euſtachia Hieronymum, tanquam Doctorem ſui temporis doctiſſimum, ſuæque ædificationi aptiſſimum, in Palæſtinam ſecuta erat, eaque occaſione à me laudatum, improbaret, quia ſcilicet hoc nomine male audierat apud plurimos, quod aliquod inſolens, & ſine exemplo, Mundo exhibuiſſet exemplum; nec ſatis obſervaſſet decorum. Nequid de illis dicam amicis, qui vel opum ſplendore occœcati, terreno Horizonte viſionem ſuam terminabant; aut ita rerum ac negotiorum mundanorum ſtrepitu obſurduere, ut vocem Chriſti non audiant aut intelligant.

XVI. Sed revera illa omnia externa non magis nos in illa ſequelæ Chriſti via detinuerunt, quam ſi agmen aliquod muſcarum occurriſſet, quod vel leniter incedentibus facile cedit, & alio commigrat. Non diffiteor, me illius Decori

civilis, more recepti, atque honeſtæ, ut dicitur, Famæ, perinde atque alicujus veræ virtutis, per omnem vitam fuiſſe cultricem: verum in hoc caſu nihil me morabatur, ſive illam ut tranſitoriam, comparate ad divina, conſiderarem; ſive ut donum aut depoſitum cœleſte reſpicerem, quod, ut cætera mea omnia, quæ reipſa à Deo, & Dei ſunt, Deo reddere, & in ſacrificium ipſi, horum omnium Largitori, offerre magno animo decrevi. Cujus etiam occaſiones poſtea, hiſce Chriſti veſtigiis inſiſtendo, non defuere. Atque in illa praxi perpetuo confirmata ſum per exemplum primævorum non ſolum Chriſtianorum, qui facile externa omnia, atque ipſam ſuam vitam propter cauſam Dei abnegarunt ac perdiderunt: ſed & per noſtri ævi fidelium facta generoſa, & inter alia iſtius magnanimæ Fœminæ Scoticæ, quæ, cum detegere per conſcientiam coram judicibus id ab ipſa efflagitantibus, quorundam Servorum Dei nomina non poſſet; ideoq; tibiam ſuam, juxta eorum ſententiam, crudeliſſimo equulei genere premendam expoſuiſſet, hanc Chriſtiana fortitudine dignam edidit vocem; *Gratias tibi ago, Deo meo, quod tibiam mihi dederis, quam pro tua cauſa nunc tibi reddere poſſum.* Ita & ego mecum Deo gratias egi, quod mihi inter alia, aliquem famæ ſplendorem conceſſerit, quem (ſic dirigente ejus Providentia) in ejus cauſæ amplexu amittere & abdicare poſſem.

XVII. Sed in primis etiam mihi quotidie in mentem venit exemplum & doctrina noſtri Salvatoris, qui, cum nemo mortalium ipſum *de peccato arguere poſſet*, tamen *tantam ſuſtinuit à*

pec-

peccatoribus adversus se contradictionem, ut eam nobis in solamen & excitabulum, ad illius conformitatem amandam, proponat Apostolus, Hebr. 12, 3. Et ipse Christus Matth. 5, 11. *Beati estis cum vos convitiis affecerint, & persecuti fuerint homines, & mentientes dixerint quodvis malum adversus vos propter me. Gaudete & exultate*, ἀγαλλιᾶσθε (quod gesticulationem magis sonat lætantis, quam ipsum gaudium) *quia merces vestra multa est in cœlis*. Ubi benignus & beneficus Dominus non solum suos gaudere jubet, sed & exultare, & gaudere facit *gaudio illo ineffabili* & glorioso, de quo Petrus *iisdem fere verbis* loquitur 1. Pet. 1. Itaque quemadmodum donorum & benedictionum spiritualium, horum fidissimorum & innocentissimorum Christi Servorum participes esse vehementer desiderabamus: ita etiam eorum persecutionis & ignominiæ, qualem Moses omnibus Ægyptiacis divitiis prætulit Hebr. 11. aliqua ex parte consortes esse, nullo modo recusabamus.

CAP. VII.

Ubi de mea migratione Amsterodamum, ac propiore unione mea cum nascente istic Ecclesia puriore agitur; ac quædam, quæ circa illius primam collectionem ibidem accidêre, particularia recensentur.

CUm igitur hoc nostrum immotum staret consilium, ut oblatam hanc Dei vocationem, atque magno cum gaudio & promtitudine animi à nobis amplexam, sequeremur, sine

mora excurrimus Ultrajectum, unde, posteaquam rebus nostris necessariis ibi prospexissemus, quam poterat celerrime, redivimus Amsterodamum; nequid nobis circa puncta Religionis fundamentalia (quorum tractationem Medioburgi inchoatam, resumere, ac plenius fusiusque pertractare decreverat D. de la Badie) nobis per nostram culpam periret. Ubi reduces, domus ipsius partem inferiorem, una cum amicissima illa mea consorte, & meo nepote, puero undecim annorum, Schurmanno, binis honoratis viduis, earumque tribus aut quatuor liberis, ac tribus virginibus rem domesticam curantibus, occupavimus: superiorem autem ejus partem sibi reservabat D. de la Badie, cum D. Yvon, & du Lignon, & cum quibusdam praeterea egregiae pietatis Juvenibus Medioburgensibus; ne quid de advenientibus ac recedentibus hic addam, qui cujuscunque conditionis, dum se Christum serio quaerere prae se ferrent, haut gravatim domum recipiebantur; & quotquot erant, tot testes esse poterant nostri ordinatae ac Christianae vitae studii & praxis. Illud vero commune erat membrorum Ecclesiae Medioburgensis privilegium, quod illis omni tempore patebant nostrae aedes. è quibus siqui J. Christo se addictos demonstrarent, facile in domesticorum numerum admittebantur; cum sc. hoc ferret eorum status.

II. Pessime interim habuit plerosque Ecclesiasticos Amsterodamenses, quod quaedam, antea eorum membra, quamvis paucissima respectu eorum, quos retinebant, & ultra quinquaginta millia numerabant, ab illorum coena abstine-

tinere animadverterent, cum ſe ſponte noſtrorum Paſtorum auditores præberent: nulla enim alia arte aut ſtudio, quam ſpiritualibus & efficaciſſimis verbi divini ſermonibus quemquam attrahebant. Sed inani metu vereri videbantur, ne, ſi eos ſic pergere ſinerent, totus tandem populus iis adhæreret, à quo nullúm tunc temporis erat periculum. Cum enim fere omnes adhærerent ſuis idolis, vel avaritiæ, vel ſuperbiæ, vel ſuis commodis ac deliciis, & uno verbo amori ſui potius, quam veri Dei, & Domini JESU Crucifixi, nullum erat periculum, ne horum Theologorum non tantum lucis, ſed & crucis Miniſterio, conſtanter adhærerent; ſed ad tempus parvum, ut Judæi in luce Joannis, ſe oblectare tantum volebant in hac inſolita & clara luce.

III. Quando vero in exercitiis ſacris noſtræ domeſticæ congregationis à noſtris Paſtoribus divinæ veritates non minus ſublimi, dilucido, ac nervoſo, quam ſimplici, efficaci, ac ſpirituali docendi modo proponerentur auditoribus, atque alii alios, & aliæ alias ad eaſdem, inſtar Mannæ cujuſdam cœleſtis, non ubivis obviæ, una ſecum deguſtandas adducerent, factum eſt, ut accreſcente iſtorum numero, invidia accreſceret, & amor proprius quorundam Eccleſiaſticorum concitaretur, eum in modum, ut ſe Synodalibus Wallonicis adjungerent, ac Magiſtratum, tunc ex parte novum, atque illorum importunitate tandem laſſatum, eo adegerint, ut, contra eorum ſtatuta & axiomata politica, quibus omnibus Religionibus ac Sectis libertatem exercitii concedunt, tantum noſtræ do-

doctrinæ puriſſimæ exercitia, tam rigido mandato limitaverit, ut ne uno quidem, qui noſtræ familiæ pars non eſſet, permitteretur ad ea aditus. Conquerebantur enim quidam concionatores, hæc exercitia ipſorum cœtibus magis quam ulla ſectarum nocitura; ſiquidem optima illorum membra ad ea rapiebantur, nec ſatis etiam conſulebatur auctoritati Synodali. Sed eo ipſo interim Eccleſiæ Wallonicæ Mediobnrgenſi, quæ quoad magnam ac meliorem ſui partem ad ſpirituale & incomparabile ſuorum Paſtorum anhelabat Miniſterium, eoque migrare decreverat, præcluderunt januam, & optimos futuros illius urbis cives (quod alias noluiſſet Magiſtratus) à ſuo commercio rejecerunt. Sed & nobis eo ipſo magis innotuit noſtrorum temporum à primæva fidelitate degeneratio: quando pauciſſimi Chriſtum nudum, & vitæ commodis exutum, ſequi valeant, aut velint hac tempeſtate.

IV. Interea quo minus extendebatur hujus adminiſtrationis Spiritus vis & efficacia, eo magis intendebatur reſpectu noſtri: ita ut quorundam exercitiorum, ubi ad objectiones mundanorum non erat reſpondendum, tam mirabilem ſentiremus virtutem, ut cœlum in terram per ea quaſi deſcendiſſe non dubitaremus. Inter omnia vero eminebat unum illud, quod deſcenſum Spiritus S. ſub ſymbolis externis venti & ignis, ſuper Apoſtolos, & primam Eccleſiam Hieroſolymitanam habebat pro argumento: ubi D. de la Badie, quaſi totus interno illo vento & igne operantis Spiritus S. gratiæ motus & accenſus, tam ſpiritualiter, tam efficaciter

citer, tamque divine de divina ejus Perſona & operationibus nobis loquebatur, ut omnes fere, quotquot huic congregationi intereramus, ejuſdem vivam præſentiam & virtutem in cordibus noſtris comperiremus, ſicut vivum commentarium verborum Chriſti Cant 5: 2. *Bibite amici, & inebriamini.* Et Rom. 14: 17. *Regnum Dei non eſt cibus nec potus; ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu S.* Ego certe iſtius diei & ſimilium memor, nulli deinceps tentationi contra divinitatem hujus Miniſterii, aurem præbere potui: cum certa eſſem, Satanam cum Chriſto ejusque Spiritu non habere diviſum imperium; ita ut, ubi ille Magnus Deus ſe Poſſeſſorem animarum oſtenderat, mox ſuo inimico concederet locum. Placuit autem Deo noſtro, magnas ac varias immittere afflictiones ſuæ huic familiæ, quibus *probati*, ut cum Apoſtolo loquar, *manifeſtarentur.* Quæ multis, quamvis abſque ulla ratione, fuerunt offendiculo: ſed humiliter ac fideliter incedentibus in viis Domini, quæ *rectæ ſunt* Hoſ. 14: 9. cauſa fuere majoris progreſſus.

V. Integrum ſane requireret volumen, ſiquis omnia admiranda Dei opera circa hanc naſcentem Eccleſiam colligendam, nutriendam, atque expurgandam notare velit; ſimulque Satanæ iras & artes, in turbis contra ipſam excitandis, deſcriberet; quibus plerumque inſervivit odium & invidia Eccleſiaſticorum mundanorum, vel etiam Formuliſtarum ac Synodicæ authoritatis cultorum, qui auditoribus ſuum genium communicabant. Unde populum, cætera ad rem attentiſſimum, otio devotum dixiſſes

xiſſes, quoties novum aliquod calumniæ monſtrum ibidem, ut in nova quadam Africa, natum eſſet. Unum illud non minus ridiculum quam inſolens, quantum poſſum breviſſime Ex. gr. enarrabo. Accidit ut inter alia Medioburgenſis Eccleſiæ diverſi ſtatus ac conditionis membra, quibus, ut dixi, ad ædes D. de la Badie liber patebat aditus, veluti ad fidum ſuum Paſtorem etiam veniret vidua quædam, ob pietatem piis grata, quæ ob grandem ætatem, & perpetuam corpuſculi infirmitatem eleemoſynis ſuſtentabatur, quæve poſtquam aliquot ſeptimanis in domum, & ad exercitia ſacra lubēti animo ab illo & omnibus domeſticis eſſet recepta, mirum in modum in notitia Dei & ſui ipſius profecit; uti etiam in praxi vitæ vere Chriſtianæ. Hæc vero, pedetentim decreſcentibus ejus viribus, tandem febricula validiore correpta eſt, & poſt tres circiter hebdomadas vitam cum morte, aut potius mortem cum vita commutavit. Aderant autem ægrotanti per vices, omnes, ut puto, domeſtici noſtri, ac moribundæ ſera veſpera D. de la Badie, D. Yvon & D. du Lignon, atque ego inter alios quam plurimos, qui ejus fide ac patientia valde conſolabamur. Sequente vero die cadaver reconditum loculo, pannoque nigro tectum, prope januam introitus ædium poſitum fuit. Incidit autem ut eodem mane à Domino domus mitterentur ex improviſo operarii, quos per totum menſem, ad minimum ſingulis diebus exſpectaveramus, ad evacuandas ſordes per aliquem canalem, qui ipſis erat effodiendus: quando vero illius initium fecerant trium aut quatuor pedum longitudi-

tudinis, ac terram curriculo ſuo eveherent, evenit ut, aperta januâ, binæ fœminæ tranſeuntes, una alteri diceret: *Ibi eſt nova Eccleſia, quia quotidie iſtic habentur conciones*; atque intrantes viderent loculum obvelatum, & operarios foſſam fodientes. *Oportet omnino*, addidit altera, *ut ſit Eccleſia, quia mortuos ibidem ſepeliunt*. Quod cum audirent pueri plateæ, unus poſt alterum quoque intravit, atque exeuntes clamarunt, in illo horto mortuum ſepelient, unde numerus ſpectatorum accreſcens (neminem enim arcere volebant neque noſtri, neque operarii) in platea quidam vociferari cœpere, neſcio an ex mera petulantia, vel ex ſubornata malevolorum malignitate, *In illa domo homines occidunt, eoſque in horto ſuo ſepeliunt*. Quæ omnia, ut abſurdiſſima, à noſtris negligebantur. donec illorum numerus & inſolentia ita excreſceret, ut ad Prætorem mittere aliquem è noſtris cogeremur, ad ſedandam hanc turbam. Qui adveniens, plebis dementiam riſit, ipſiſque omnibus ac ſingulis ad domum ſuam redire juſſit: ſed nihil hoc impediit, quin Prætore recedente continuo iterum major etiam populi ſecutus ſit concurſus; ita ut circa veſperam univerſæ utrinque plateæ, quas canalis ſeparabat, fuerint omnium genere hominum repletæ; quorum quidam inſolentiores feneſtras petere lapidibus, oſtia pulſare, atque in illa vim facere incipiebant, omnia, ut videbatur, extrema tentaturi: ita ut nemo noſtrum domo exire poſſet.

VI. Sed interim pro noſtra ſalute vigilabat divina Providentia, quæ quendam ex Scabinis Ur-

urbis, rure domum suam, nostræ vicinam, reduxit circa horam octavam; qui hanc videns ac metuens populi ingentis numeri anarchiam, absque mora D. de la Badie conveniens, atque humaniter compellans, de nimia ejus patientia conquestus est, promtumque ei promisit auxilium. Cumque exeuntis, viri gravis, dehortationes flocci penderet illud plurium capitum monstrum: mox ipse Consules, Prætorem &c. congregari curavit, ac præsens periculum non solum nostræ, sed & aliarum domorum indicavit, cum sciret nullum esse plebi nec judicium, nec veritatem. hoc enim Ethici dictum in nomine tenus Christianos nunc etiam maxime quadrabat. Eoque Magistratus illico cohortem militum auxiliarium in custodiam nostrarum ædium misit, quæ vix illorum manus, nedum linguas, cohibuit; quæve tribus integris diebus & noctibus earum introitus cingere ac munire fuit coacta, ob tumultuosissimam plebem, ac tumultum sane non absimilem illi, quem adversus B. Paulum olim concitabant argenteorum Dianæ templorum fabricatores Ephesini Act. 29. ubi alii aliud clamabant, & ut sacer Textus habet: *Concio enim erat conturbata, & plerique nesciebant, cujus rei causa convenissent.* Vel etiam commune quid habebat cum alio illo tumultu populi, quem contra ipsum excitabant Judæi Act. 21. ubi etiam *alii aliud vociferabantur in turba*: sed huic peculiare erat quod diuturnior esset; & quod aliquoties etiam aliquid de suo furore remitteret.

VII. Nos interim, dum forte vicini trepidabant, metuentes suis rebus ac speciosæ suppel-

pellectili, nocte dieque ſive dormientes ſive vigilantes, eramus quietiſſimi ac ſecuri, omnibus noſtris curis in Deum & Dominum noſtrum rejectis; nec magis curabamus populi ſtrepitum, quam ſiqui prope torrentem in littore decumbentes, ad ſuavius dormiendem fuiſſent invitati. adeo fortiter ſentiebamus intus protectricem ac tutelarem manum Omnipotentis. Adventante vero die exequiarum, Deus noſter ita flexit conſilium Magiſtratus, ut non minus benigne quam prudenter ſuos ſatellites in ſubſidium miſerint noſtris domeſticis funus facientibus, quorum primi erant D. de la Badie, D. Yvon, & du Lignon, qui publica auctoritate & inſignibus muniti, viam funeri, ejusque comitatui aperuerunt, noſtrorumque latus clauſerunt, eos per mediam turbam magnam partem furibundorum, tutos ac ſecuros ad ſepulcrum deduxerunt, ac quieto ordine reduxerunt domum noſtram. Sic fœmina tam conditione externa, quam ſpiritu humilis, vivens à mundo neglecta, poſt ejus obitum, occaſione mendacii viliſſimorum aliquot puerorum, majori cum pompa ac populi confluxu, quam quisquam fere optimatum Amſterodamenſium, tumulo fuit mandata. Atque inſolens urbi maximæ præbuit ſpectaculum, pro ſui parte innocentiſſimum, comœdiæ, quam ut in tragœdiam cruentam mutarent, per multorum malitiam non ſtetit.

VIII. Verum non ſolum nobis Chriſtus perſecutiones extraneorum, tanquam aliquod levius genus crucis, ſed & domeſticas graviores noſtris humeris impoſuit. De morbis noſtrorum

rum dilectissimorum Pastorum nihil dicam, quorum primus à Deo paterne visitatus, fuit D. Yvon, ac deinceps D. de la Badie, qui, quo fuere graviores, & præsertim postremi, dolores vehementiores, eo majori fuere nostræ familiæ ædificationi ac consolationi: cum admirabilem eorum videremus constantiam, veram patientiam, vivam fidem, & sui ipsorum omnimodam oblivionem, ac transitum in divinam voluntatem, ad eam glorificandam, ut optimam, atque ipsis amabilissimam: ita ut vix crucis nomen mereri possent. Sed de singulari illo morbo loquor, quo unus ex conspicuis nostris domesticis correptus, in phrenesin incidit; & quod tristissimum erat, vociferationibus & clamoribus non solum nostram, sed & vicinorum quietem nocte dieque turbabat. Quæ cum quidam domestici, sed non vere nostri, viderent & audirent, talia cum opere gratiæ Dei in sua familia consistere non posse judicarunt. Eoque alius ad Socinianos, alius ad Quakeros sequendos propendere visus est. Cumque eo animo Socinianorum libros volverent, atque unus ex iis, tentatus ab aliis, in eo esset deprehensus; ideoque infidelitatis, quod talia celasset Pastores, convictus, ac coram omnibus esset reprehensus, inconstantiam suam in constans odium, præsertim contra D. de la Badie, convertit. Adeoque à Satana agitatus, se duobus aliis imprudens adjunxit; ac post obitum istius ægroti cum quodam, Sociniana doctrinâ jam antea imbuto, & suo pariter infido fraterculo, tale fabricarunt scriptum testimonium, quo D. de la Badie redderent reum mortis vita functi. Quasi

si scilicet D. de la Badie ægroti pectus ita pede suo contrivisset, ut inde mors ejus fuisset subsecuta: quod quam diabolicum fuerit mendacium, omnes domestici, quibus & ego intereram, testari potuissent, si res apud Magistratum peragenda fuisset: id tamen omnes illi tres vicino Concionatori Germanico communicarunt, atque ad Magistratum inde delatum est: qui in omnia accurate inquirens, reique falsitatem & malignitatem subodoratus, omnino in candida facti explicatione nostrorum Antecessorum acquievit. Ad quæ omnia deinceps, occasione famosi libelli Antonii de la Marque, qui primus hujus tragœdiæ Actor fuerat, (de cujus miseri hominis exitu loqui horrescimus) responsum est. Hic vero casus, uti nostros, rerum omnium conscios, non nisi ad abnegationem omnium creaturarum, & ad adorationem viarum Dei, nobis impervestigabilium, ducebant; ita calumniæ faciles exhibebant ansas, quibus arreptis bilem suam largius effunderet.

IX. Suo vero interea, ut judicabant, officio non deerant Concionatores Belgici, tum Amsterodamenses mihi noti, tum Ultrajectenses, quo me in communione suæ Ecclesiæ retinerent. Tametsi enim plerique magni facerent dona ac Ministerium efficax D. de la Badie & D. Yvon, omnesque ipsi animo consociatos minime spernerent; tamen non satis æquo ferebant animo secessionem ab illorum communione Ecclesiastica externa. Ideoque me tum variis compellationibus præsentem: tum scriptis tam Ecclesiasticis quam privatis absentem, à meo proposito dimovere conati sunt. Sed ita

me in hac attractione Patris cœlestis sequenda; corroboravit divina gratia, ut instar rupis, ad omnes ejusmodi tempestates manerem immota: nec ullam subesse eorum rationibus, contrarium suadentibus, efficacitatem deprehenderem, cum satis nossem eos ipsos non latere hodierni Christianismi, atque ipsorum cœtuum corruptelam universalem; eosque via illa ordinaria, qua incedebant, prorsus esse, ut ita dicam, irreformabiles: præsertim vero per Pastoratum; unde tamen Reformationem inchoandam esse, universo Tractatu fortiter demonstraverat D. de la Badie: atque ad ipsam separationem quorundam animos satis esse instructos sciebam singulari ejusdem Auctoris Scripto *de Casibus conscientiæ:* nisi nimium conjecissent oculos ad quædam paucissima suæ Ecclesiæ meliora, ut judicabant, membra; quorum pietati simul, atque imbecillitati suffulciendæ, eorum ministerii perpetuum exercitium credebant esse necessarium.

X. Sed, si ovium habebant naturam, nonne suos Pastores præeuntes fuissent secuta? Verum illud ferre eorum sortem externam negabant ipsis patrocinantes. Quo ipso ea rebus temporalibus adhærescere luce clarius ostendebant: à quarum idololatria in primis liberari eorum Antecessorum exemplo, erat necessum. *Qui enim*, ut nos docet summus Doctor, *aratro manum injicit, ac retrorsum respicit, non est dispositus ad regnum Dei.* Sed ejusmodi axiomata ab omni usu removit communis praxis. Præterea non ignorabam quorundam ad restituendam disciplinam Ecclesiasticam irritum conatum. Cum enim

enim una vice ſat magnum numerum membrorum, à communione Cœnæ ſuſpendiſſent, ſed talia, quæ neque Politica, neque Eccleſiaſtica poteſtate cuiquam eſſent reformidabilia; ceteraque ſuperioris ordinis, vel collegii, majore forte cenſura non indigna, præteriiſſent: eo ipſo eorum ſtatum internum juxta atque externum approbare videbantur, mundanumq; genium, qui ſuperiora loca occupabat, in ſuis Eccleſiis fovebant, nec iis cordi eſſe ejuſdem ab illorum cœtibus expulſionem, cuiquam fiebat credibile, cum ſeipſos inde expelli non probarent eſſe paratos. Nam tota ferme Eccleſia, ut mihi de ſua teſtabatur Concionator Harlemenſis, excommunicanda foret, ſi non niſi regenitos ac vere Chriſtianos in ea tolerarent. Ego vero merito regerere poſſim: quodſi tantopere numero gaudeant, eos ut auditores admittant, dummodo illos fideliter de miſero illorum ſtatu convincant: ſiquidem primus Spiritus Sancti effectus, cujus Miniſterii ſe organa profitentur, eſt, *Mundum convincere de peccato* Joh. 16. Saltem condemnationem eorum ne aggravent; dum illis Chriſtianorum Sacramentum indigne attingendum tradunt.

XI. Scio quidem Antiquæ Eccleſiæ, ut & noſtræ, rigorem in cenſendis moribus culpari, quod ſc. nimis ſeverum formare videantur de omnibus judicium, ita ut periculum ſit, ne etiam digni à communione fidelium arceantur ac rejiciantur. Verum eorum etiam optime novi reſponſum, quod accurate diſcriminandum ſit inter judicium Eccleſiaſticum, & civile: cum ad illud prius, quando caſus incidit de recipi-

endis membris ad Ecclesiæ communionem, aut etiam ad familiaritatem Christianam, gratia discretionis spirituum, aut certe ejus fructuum opus sit, atque in præcipitatione longe majus, quam in mora periculum sit: cum inde neque Electio Dei, neque eorum salus pendeat. Et quia de mundanorum Electione sumus incerti, peccare nos non putamus, si vel ipsum Paulum recipere ad sacram nostram familiaritatem cum Anania & Christi discipulis Act. 9: 26 aversemur, donec nobis de ejus conversione constet; nec quemquam fraterno amore diligimus, usquedum se è tenebris (ut loquitur S. Petrus) in admirabilem lucem, Regni sc. Christi, transpositum affectu & effectu probet. Interim tamen pro conversione omnium Electorum mundanorum Deum supplices venerantes, & ad ejusdem promotionem nostra dona & operas adhibentes, cum id vocatio nostra & occasiones divinitus largiuntur. Removemus autem ab Ecclesia Dei jus dicendi & judicandi Politicum: deinde & negotiorum ac statuum eorum, qui extra Ecclesiam sunt Cor. 5: 12. Et in conversatione civili ipsi tantum tribuimus judicium aliquod generale, & ut ita dicam, in abstracto, quo tantum suffragatur S. Scripturæ, quæ de omnibus hominibus, qui non sunt conversi ad Christum, pronunciat, *quod omnis imaginatio cogitationum cordis hominis tantum mala est omni tempore* Gen. 6: 5. & similibus dictis divinis. Quo fit ut nostræ Ecclesiæ Pastores in nullius statum particularem sollicite inquirant, aut de illo judicent: nisi quis hoc ab ipsis de se requirat, aut Dei Providentia vel Gloria eos ad hoc obli-

obliget. Addam porro nos omnes, si in quoquam Dei bona vel naturalia, vel acquisita, vel etiam supernaturalia conspicimus, quæ sibi conjunctum non habent amorem Dei, ea ut in se bona amare; sed ut bonum liquorem in vase impuro, non magni facere.

XII. Unum vero ex primariis Ultrajectinis Theologis memini dicere, nullam aliam se restitutionis Ecclesiæ videre viam, quam si Hispanus, aut forte Gallus, illas prius dissolveret, & sic recolligendis melioribus daret occasionem. Atqui ne hoc quidem sufficere credibile erat, cum revera opus sit magna mensura gratiæ & communionis Spiritus Sancti, qui solus constituit Episcopos Act. 20. ad erigendum novum ædificium ipsius Templi: ut quotidie in collectione & formatione vivorum lapidum nostræ Ecclesiæ, ejusque structura experimur. Præstitisset sane, ut principiis malorum obstitissent; atque auctoritatem ac potestatem Ecclesiasticam clavium cœlorum conservassent ii, quibus illa provincia fuerat à Christo demandata, juxta exempla, non dicam magnorum Dei Servorum, qui majori temporis intervallo à nostris oculis remoti sunt, Ambrosii, Chrysostomi, & similium; sed hujus etiam nostri seculi Ecclesiasticorum, quorum hoc unum factum memorabile nunc mihi in mentem venit, quod accidit tempore D. Plessei, in cujus vitæ Historia ab Elzeviriis Lugduni Batavorum edita narratur, ipsum Regem Navarrensem, ob seductam virginem, filiam Consulis Rupellensis, ab iisdem ad publicam sui peccati confessionem coram tota Ecclesia, ejusque veniæ precatio-

tionem condemnatum fuiſſe. Et quamvis jam iteratis vicibus coram ipſis ſuam culpam ſatis humiliter faſſus eſſet: tamen non niſi poſt plenam hanc ab eo requiſitam ſatisfactionem, quam toti Eccleſiæ debebat, ad ejus communionem fuiſſe receptum. Quorum veſtigiis eorum ſucceſſores ſi inſtitiſſent, non tam cito Mundus in Eccleſiam irruiſſet. Sed tempora adveniſſe quis amplius dubitet, quibus Chriſtus venturus, fidem vix in terris inveniat. tantum abeſt ut hodie vigeat Spiritus Martyrii, qui in Eccleſia antiqua tempore Cypriani ita vigebat, ut conſolatione ejus indigerent ii, qui privata morte tempore peſtis moriebantur, ejuſque corona, hac via, privari ſibi videbantur.

XIII. Sed revera Spiritus ille Martyrum reviſcturus eſt, juxta Prophetiam Apoc. 20. præſtituto tempore: quemadmodum in Joanne Baptiſta revixit Spiritus Eliæ. Verum poſtquam jam advenit illa apoſtaſia, de qua Apoſtolus locutus eſt 2. Theſſ. 2: 3. atque univerſalis Antichriſtianiſmi ultima periodus: Nonne in ipſo Templo Dei, ubi ſedem ſuam fixurus dicitur, exſpectandum erat Myſterium iniquitatis? etiam in iſtis Eccleſiis, quæ ſe domum Dei eſſe gloriantur? quamvis revera mundanorum hominum ſint ampla receptacula, qui externa tantum profeſſione ejuſdem doctrinæ, & vita ſaltem non prorſus ſcandaloſa coram hominibus, qualem facile inter Turcas & Ethnicos invenias, ſibi Chriſtianorum nomen acquirunt. Ultrajectenſis ſane Eccleſia, quoad doctrinam veritatis, & ſtudium aliquod ſingularis pietatis

Do-

Domus Dei aliquo tempore, si qua alia, dici promerita est. Sed quia deinde praxin, præsertim doctrinæ de Ecclesia & clavibus cœlorum, pedetentim magis magisque negligere cœpit, non mirum est, si tandem in cœtum valde mundanum degeneraverit; atq; *ira Dei propter fœderis Dei profanationem, in universum cœtum concitata fuerit*, juxta verba Catechesis Heidelbergensis supra modo commemorata. Quamvis vero optime, in charta & Confessione publica, conservent orthodoxam veræ Ecclesiæ descriptionem: tamen in ipsa praxi vix dissentire videntur à sententia illorum Scoticorum Concionatorum, quorum unum, inter ipsos doctiorem, dicere memini, *veram existere posse Christi Ecclesiam, ubi ne unum quidem inter omnia ejus membra esset regenitum, aut vere Christianum*: quasi verum Christi corpus ex meris Mundi & Satanæ membris posset esse compositum. Quod horrendum dictu, ac plane impossibile est. Attamen Secessionem nobis à tali congregatione, ad vere Christianam, ex veris fidelibus in vivum Christi corpus à Dei Spiritu unitam, non nisi cum reluctatione animi concederent, si illorum in eo sequeremur consilium.

XIV. Sed nihil hic peccari crediderim, si quis sequatur Confessionem Belgicam, quæ Art. 28. ita de isto casu Conscientiæ pronunciat: *Illud officium est omnium fidelium, secundum Dei verbum se separare ab iis, qui non sunt de Ecclesia, & se jungere huic Congregationi*, nempe fidelium, *quamvis mandata Magistratus & Principum, & vel mors, aut pœna alia corporalis inde sequeretur.* Ut nihil hic adjiciam Argumentorum, quæ è

Sacris Literis depromi possint, de Separatione bonorum à malis facienda. vel ab initio corruptæ Societatis humanæ. Unum tantum addam ex Gen. 4, 26. Ubi Commentatores Belgicorum Bibliorum phrasin Hebraicam sic, ut valde probabilem, in margine vertunt, nempe, *tunc cœptum est denominari à nomine Jehovæ: Doe begon men na des Heeren Name te noemen*; cum hac explicatione, *doe begonnen de rechte Kinderen Gods haar van de anderen af te sonderen*. Hoc est, *tunc cœperunt veri filii Dei se ab aliis separare, & nominare populum vel filios Dei sive Jehovæ, respectu veri cultus Jehovæ.* Quemadmodum vero illa unio illorum, & separatio à mundanis, causa fuit conservationis Ecclesiæ: ita postea filiorum Dei cum filiis hominum commixtio, causa fuit universalis diluvii, & novæ separationis familiæ Noæ à Mundo Gen. 6. Ulterius non pergam in hac materia, cum illa exquisitissime tractata sit Tractatu modo nominato *Judicium justum de Secessione bonorum à malis*. Relictâ igitur communione Ecclesiarum mundanarum, me arctius nostræ nascenti, longe meliori ac puriori, adjunxi: nec parvi feci speciale hoc divinæ Gratiæ beneficium, quod me huic suæ Familiæ conjunxerat, cum ad illam extraneis vix pateret aditus, ac mihi postea fuisset difficillimus. Cum ei mox alio, juxta Dei decretum, esset commigrandum.

XV. Jam enim annus plus minus erat, quod rumor de nostris illis molestiis, quas nobis Amsterodami excitabat Satanas, ad aures Principum extraneorum pervenerat. quorum quidam consilium, de vindicanda hac Ecclesiola Christi in ple-

plenam libertatem, animo volvebant: idque eo tempore, quo rigor Edicti Magistratus nos constringebat, nobis significatum est. Inter alia vero libertatis oblata, negligendum non videbatur illud Regiæ Stirpis, ac Serenissimæ Principis Palatinæ Elisabethæ, quæ me jam multis retro annis singulari sua benevolentia dignata erat. Quadraginta enim, puto, anni effluxerant, ex quo, relictis cæterarum puellarum Principum inaniis seu oblectamentis, suam mentem nobilioribus studiis Scientiarũ applicuerat. Et quandoquidem ego eo tempore, mihi blandiente fama, non solum pia, sed & docta audirem, me illustri suo favore, ob studiorum quandam similitudinem, complexa est, quem mihi tum sua præsentia, tum suis benignis literis sæpius erat testata. Jam vero cum multa de loci ac status mei mutatione, multisque adversis, quæ se meo proposito vivendi, in secessu à Mundo ac mundanis, cum aliis quibusdam piis, sub Ministerio D. de la Badie, per bonam malamque famam inaudiret, eoque cum meæ anteactæ vitæ memoria, simulque antiqua ejus erga me benevolentia reviviscerct, nihil sinistri de meo instituto, neque de iis, quorum consortium mihi sub vitæ meæ finem elegeram, suspicari aut credere potuit. non ignara etiam, quod omnia Amsterodami insolita, isti populo essent invisa; atque in primis exuberantiam virtutis, ut Orator loquitur, olim & nunc omnibus & ubique fere esse exosam.

XVI. Itaque de evocanda nostra Familia, jam satis numerosa, ad suam supremam Jurisdictionem, serio cogitare cœperat. Eamque pro-

provinciam Homini honorato Hagiensi, quem sibi in omni ejus voluntate exsequenda credebat fore fidelem, demandavit. Sed is rerum veritatis ignarus, imo per libellum cujusdam Concionatoris Wallonicæ Ecclesiæ Hagiensis, qui fundum suæ bilis & odii ibidem exoneraverat contra D. de la Badie, ejusq; Ministerii fautores; à vero abductus & plane deceptus, eundem ad celsissimam hanc Principem transmisit, quo ipsam à suscepto proposito abduceret. Verum enim vero tantum abfuit, ut Serenissima hæc Princeps post lectionem ejusmodi Scripti suam mutaverit sententiam; ut per id ipsum etiam vehementer in ea fuerit confirmata. Cum videret illud, qualecunque nomen Ecclesiastici præ se ferret, revera magis sapere turbidas alicujus Stygiæ Paludis aquas, quam limpida illa aquæ vivæ flumina, qualia Christus fidelibus suis Ministris, ex illorum visceribus fluxura promisit, ac misit, & mittet perpetuo. Sic enim argumentabatur illustrissima Princeps: Omne Ministerium Satanæ, Mundo ac mundanis invisum & exosum; Christianum, ac Christo gratum & acceptum est: At hoc Ministerium Satanæ, Mundo & mundanis invisum & exosum est. Ergo Christianum, Christoque gratum & acceptum est. Neque enim tantummodo (quod nobis ipsa Princeps postea testata est) in stylo illo theatrali, totaque scommatis ac quæsitis dicteriis fœdata oratione, Autoris mundanum genium, atque calumniandi pruriginem deprehendebat: sed & eodem intuitu è transverso, per ipsas accusationes, aliquid laudabile innocentis Dei famuli perspexerat, quod veri Mini-

nisterii Evangelici characterem exprimebat.

XVII. Itaque relictis omnibus ambagibus, atque aliorum hominum mediatione, minimeque in proposito suo vacillans aut hæsitans, recta ad me suas literas direxit, quibus se mei instituti satis consciam testata, quod nimirum mundi & rerum terrestrium vinculis me liberare cœperam, quo Religionem vere Christianam ac Reformatam, majori cum puritate ac libertate in consortio piorum exercerem, eoque ultimum vitæ meæ actum feliciter clauderem: veteris nostræ Amicitiæ (sic enim ipsi loqui placuit) memorem asseruit; ideoque mihi, atque universo meo consortio, obtulit publicam & plenam exercitii Religionis nostræ libertatem, sub ejus suprema & absoluta Auctoritate, in districtu suo Herfordiensi. Subjiciens, si quidem nobis arriderent oblata, vel ipsa ad eam facerem iter 24 horarum, quibus curru confici poterat; vel, si mihi hoc nimis foret grave, aliquem è nostra familia mitterem, fidelem & aptum isti negotio transigendo amicum, qui utrique utriusque mentem ac statum reciproce explicaret. Hæc autem cum ego Pastoribus nostris communicassem, atque divinitus nobis hanc occasionem Christianæ Religionis exercendæ, offerri animadverteremus, consultum nobis visum est, Herfordiam ad Principem mittere carissimum nostrum in Christo Fratrem & Pastorem D. du Lignon, qui rerum divinarum ac humanarum notitia, atque sanctorum prudentia instructus, hoc negotium perageret. Quod ita, Deo omnibus benedicente, feliciter processit, ut conditiones utrinque fuerint

erint gratæ atque acceptæ. Quamvis enim aliæ alibi, eodem fere tempore, noſtræ familiæ ſeſe offerrent conditiones minime aſpernandæ: tamen neſcio quid mere divinum & prorſus inexſpectatum, in hac vocatione ſe aperuerat, quo factum ut huic protinus adſtringeremur.

XVIII. Interim Satanas in furorem actus, quod Regnum Chriſti omnibus externis laqueis ſolutum fore videret, veritus ne ſi illud vel in forma contracta conſpiceretur Herfordiæ, atq; novum Apoſtolicæ ac Hieroſolymitanæ Eccleſiæ efformaret exemplar, omniumq; oculis exponeretur; non amplius in Mundo illis Doctoribus haberetur fides, qui Reformationem hoc tempore non deberi, nec poſſe tentari, voce & facto ſuadent. Quive ideo doctrinam de Imperfectione hominum in hac vita, ita amplificant, ut illam Conciliatricem & vinculum mixtionis & unionis ſuarum corruptiſſimarum Eccleſiarum conſtituant. Is inquam contra hanc naſcentem maſculam Prolem flumina plebis concitare ſtuduit, antequam veniremus Herfordiam: unde iſti populo ab Hollandis malevolis, qui, ut homines ab hoc itinere deterrerent, ſe hoc facturos prædixerant, per eorum literas fuit perſuaſum, nos eſſe Hæreticos, ac, quod illi horrendum quid eſſe putabant, Quakeros; ita ut nos deinde adventantes, tranſverſis oculis reſpicerent, ac Quakerorum nomine, ut & lapidibus ſalutarent, ſi quem noſtrum extra Abbatiæ jurisdictionem offenderent, cujus etiam poteſtatem, ab eorum Magiſtratura independentem, impatienti, ut patebat, animo ferebant. Sed nobis revera cœlum

lum fuccurrit, & iftas lutofas aquas in falutares convertit, quæ nos ab iftius regionis hominum commercio fejunxere, noftrumque deinde Ecclefiæ fundum quafi pinguefecerunt; & Chriftus pacem, ab ipfis repulfam, ad eam redire juffit: ita ut vera ejus membra arctius in unum cor & animam per Chrifti gratiam, ac Spiritus Sancti virtutem unirentur.

Cap. VIII.

De noftro difceffu Amfterodamo, & profectione Herfordiam, noftroque ibidem adventu, commoratione, ac receffu ad domum ruralem Principis.

De noftro abitu Amfterodamo, noftroque itinere Herfordiam, hæc tantum breviter notabo: quod ad navem, quæ nos extra portum exfpectabat, alia navi nos deducebant non pauci, tum Amfterodamenfes, tum aliorum locorum, noftræ familiæ amantes, quorum plerique, præfertim vero quidam aliorum Anteceffores, nobis omnibus valedicentes, fe nos brevi fecuturos fibi & nobis perfuadebant, imo ferio promittebant: fed de eventu alio loco, ubi de abnegatione omnium creaturarum plura dicenda. De profectione vero noftra hoc addam, quod illa nobis omnibus, puro affectu ad vitam Evangelicam, quam ex parte guftabamus, afpirantibus, tam fuerit jucunda & commoda, quamvis externis non careret incommodis, ut ego nunquam in omni vita fenferim jucundiorem, tum etiam, cum fub ejus finem fe-

febricula pene continua laborarem. Adeo mihi gratus erat conſpectus eorum, qui ſerio ad puritatem veri Chriſtianiſmi contendebant, eoque conſtanter in Deo ſeſe exhilarabant: dum etiam quidam, qui revera de noſtris non erant, non æquo animo ferebant marini aëris rigorem, aliaque communia commoda. Quando vero reliquum itineris conficeremus curru, febrem meam fugavit mitior ac purior aër, ita ut ſic Bremâ Herfordiæ feliciter adventantes, & à Sereniſſima Principe ſerena fronte, atque omnino benigne ac peramanter eſſemus recepti, divinam in omnibus conſpeximus erga nos benignitatem, ejusque vias celebrantes, nos eo vidimus loco, ubi ab omnibus vinculis Synodalibus liberati, libere etiam & publice exercere nobis licebat Religionis noſtræ profeſſionem & officia.

II. Quam multa autem, quam varia ac magna iſtic inter noſtros, & circa nos egerit divina Providentia, non eſt mei inſtituti, ut hiſtorice hic proſequar. Sed id noſtra obſervatione videtur non indignum, quod Deus vel ipſo initio illud ſuum adorandum revelabat conſilium, quo exiguo quaſi circulo includere voluit genuinum hujus Evangelicæ Eccleſiæ partum; cui tanquam in præſepi parabat iſtic loci ſua incunabula: quandoquidem ibidem concionatores, licet noſtrarum rerum & doctrinæ prorſus ignari, populum, duces ſuos ſequi ſolitum, contra nos concitabant; eoque ſeſe omnes ſimul ſpeciali illa gratiâ, qua puriſſimas veritates Evangelicas, in luce Dei, & Spiritus S. efficacia propoſitas, publice ac perpetuo audire potu-

tuiſſent, oſtendebant indignos; atque Gadarenorum inſtar, hanc Chriſti præſentiam ipſis gravem eſſe, non precibus, ſed non raro factis inſolentibus, probabant. Verum illud nos docuit Deus ipſo rerum eventu, quod ibidem velut in quodam deſerto, Miniſterio horum ſuorum fideliſſimorum Servorum uti decreverat, ad Eccleſiam quandam Noachidam ex paucis membris vere fidelibus componendam ac formandam. Ita ut Deus illos, non ad convocandos convivas ad Nuptias Filii ſui, quod ibi fuiſſet intempeſtivum, ad compita viarum iſtarum regionum miſerit; ſed ad diſtribuendum ſuis domeſticis cibum, eos, ut bonos Oeconomos, abundanti ſua gratia impleret, omnibusque *bonis theſauris cordis* locupletaret, unde nova & vetera omni tempore, opportune minimeque parce depromerent.

III. Primæ vero Conciones fuere præparatoriæ ad vitam Chriſtianam, quibus ad *longanimitatem* & quietam ac fidelem *exſpectationem* profectus, in cognitione veritatum omnium Chriſtianiſmi, ejuſque praxi per gradus corroboranda excitabamur, nobis propoſito exemplo formationis Eccleſiæ Antiochenæ Act. 11, 26. Ubi per integrum annum erudiebantur Auditores, antequam Chriſtiano nomine digni habiti ſunt. Deinde *Abnegationem noſtri ipſius*, omniumque creaturarum nobis fortiter & exacte propoſuere, tanquam fundamentum ſumme neceſſarium, ad diſciplinatum Chriſti amplectendum; ubi primum occurrebat illud, quod de Salvatore recenſetur Luc. 9, 23. *Dicebat autem ad omnes: Siquis vult ad me venire, abne-*

neget ſeipſum &c. & Luc. 14, 26. ubi *parentum* atque ipſius *animæ odium* ab aſſeclis Chriſti requiritur. Quæ poſteaquam accuratiſſime eſſent pertractata, explicatio unius iſtius verbi, Abneget *ſeipſum*, titulo, De Abnegatione Sui, Gallice, *Traité du Soy*, lectoribus beneficio typographiæ communicata eſt. Porro Caput quintum Matthæi, aliaque S. Scripturæ loca ſelecta, tempori & perſonis accommodate, explicata & applicata ſunt, magna cum claritate, & potenti Spiritus demonſtratione, ad dejicienda Excelſa Mundi, & mundanum genium, qui plerumque in Magnatibus atque aulicis ſe prodebat, utpote qui frequenter Herfordiam ad Principem excurrebant. Et revera quoſdam illuſtrium illorum hominum vidimus ita ejuſmodi Sermonibus tactos, ut vim lacrymarum profuderint coram omnibus. cum ſe à vitæ Chriſtianæ puritate ac ſanctitate tam longe abeſſe ſentirent: Sed in eo videmus horum temporum miſeriam, quod rori aut nubi auroræ ſimilis ſit plurimorum hominum benignitas: quodve in paucis electis gratiam ſolidam ac conſtantem operetur divina Benignitas. quam revera in noſtræ Eccleſiæ membris pertendentem, ac victricem de Mundo, carne, & Diabolo ibidem crebro conſpeximus.

IV. Præſertim vero illuſtrem obſervavimus Dei Gratiæ effectum, cum in privatis ac domeſticis noſtris Exercitiis prorſus divino modo tractarentur à noſtris Paſtoribus *Puncta Fundamentalia Religionis & vitæ Chriſtianæ*, quæ alibi adumbrata, ſed hic ad vivum exhibita dixiſſes; ac re ipſa non minus ſerio ac ſpiritualiter ab audi-

ditoribus reciperentur, & ad praxin revocarentur singuli eorum articuli: omnibus qui Ecclesiam nostram constituunt, cœlitus concedebantur dona *vivæ pœnitentiæ*, ac *sinceræ conversionis.* nam simulatque intime perciperent vim harum salutarium veritatum, quæ, ab ipso initio, divinissime Mundi turpitudinem, ejusque Deo oppositum genium: & mox Dei pulchritudinem, bonitatem omnisufficientem, & perfectionem infinitam mentibus proponunt, eoque omnes ad eligendam optimam partem, fortiter obligant, postquam hominem de sua vecordia convicerunt; qui neglecto summo & unico Bono; mundo, ejusque principi Satanæ se addixit: atque adeo accuratam ac profundam sui suæque miseriæ cognitionem, juxta seriem harum veritatum animis imprimunt: aperte in omnibus vidimus mundi abnegationem, & contemtum omnium rerum terrenarum ac cœlestium & Christi amorem, veteris hominis mortificationem, & novi vivificationem, eo modo, ut quædam quasi universalis in nostra Familia conspiceretur *resurrectio*; quæ in nobis omnibus ineffabile produxit gaudium & exultationem, qualem mundus non cognoscit: quæve mundo sive crasso sive spirituali nequaquam convenit. quemadmodum hoc Tractatu peculiari, inscriptione, *Exultatio Christiana*, Belgice *Het Christelikke Gejuich*, clare ac solide demonstratum est.

V. Accedebant porro singulares tum publici, tum domestici Sermones, de Christi Persona, Officiis, & Statibus humiliationis atque exaltationis, & nominatim de ejus Resurrectione

adeo cœlestia exercitia, ut nos totos mundo & nobis ipsis eriperent, & sic in Deum & Salvatorem nostrum transferrent, ut per ardentissimum eorum amorem, iis nos ipsos & omnia nostra in sacrificium irrevocabile offerremus, atq; divinæ ejus manuductioni per ejus verbum ac Spiritum, sacrumq; ipsius Ministerium, quibus se nobis revelaverat, & sibi ac Christo vendicaverat, in universum nos traderemus: ita ut inde Ecclesiæ nostræ integræ natales supputari, non inepte nobis viderentur. Ideoque id etiam Orbi, sacra Cœnæ celebratione innotescere voluimus: signum illud visibile Corporis JESU CHRISTI visibilis, ex nobis omnibus efformati, lubenti animo, absque superstitione, usurpantes.

VI. Unum præterea hic præteriri non oportet, quod inter alia argumenta prorsus divino modo, tum in templo tum domi, tractabatur illud de *Vita Jesu Christi*, cujus initium erat Æternitas, aut potius Vita æterna Christi, uti æterni atque unigeniti Filii Dei Patris æterni, ab æterno in ejus sinu geniti ac permanentis Dei; Luminis de Lumine, atque æternæ Patris Sapientiæ. Ubi SS. Trinitatis Mysteria tam admirabili perspicuitate, & Veritatis divinæ efficaci demonstratione, ac cum invincibili persuadendi facultate proponebantur à D. de la Badie, ut quidam non infimi ordinis auditores, de isto articulo fidei antea minime ferme persuasi (ceterum Theologiæ juxta communem ejus tractandi modum peritissimi) se ab eo tempore de ejus veritate ac Divinitate testarentur plene esse convictos. Plura de his non addo, quia hæc

hæc præstantissimo atque integro Tractatu, ut supra attigi, quatuor voluminibus distincto, *De Vita* CHRISTI *tum occulta, tum revelata*, conscripto, brevi, ut puto, Orbi contemplanda exhibebuntur.

VII. Hisce fere omnibus cùm interesset Serenissima Princeps, in magnam admirationem & amorem harum veritatum, hujusque Ministerii rapta est, ac verum Christianismum à falsa ejus imagine discriminare cœpit. Nec semel suam beatitudinem in eo apud nos deprædicavit, quod Deus illam quasi Hospitam & Protectricem veræ suæ Ecclesiæ, ex vere fidelibus collectæ, præ ceteris constituerat. Præsertim vero postquam D. de la Badie ipsi ægrotanti, propius ad cor locutus erat, mihi cum gaudio Samaritanorum verbis testata est, *se non amplius propter meos aut aliorum sermones credere, sed quia ipsa audiverat & sciverat*, hos nimirum esse veros atque à Deo edoctos Christi Ministros. Et quid miri hoc erat? cum animadverteret mirabilem illam rerum divinarum in sermonibus eorum abundantiam, & inexhaustos thesauros, quos, sine ulla præmeditatione, aut studio humano, omni occasione atque ex tempore, è pectore suo depromebant; cum passim alios videret ex apice quasi eorum cerebri, aut conscriptis libris, aridos sermones cum studio & labore detrahere, atque artificiose magis, quam native disponere & protrudere. Hos vero, etiam cum antiquissimas & communes proponerent veritates, novo quasi lumine illustratas, non minus dilucide quam sponte eas profluere sinentes conspiciebat. nequid de eorum vita simplici,

pura, ac libera hic addam, quæ revera, eam luminoſo oculo, nulloque humore alieno tincto, intuentibus, perpetua quædam Evangelica concio eſt.

VIII. Hic mihi præterea in mentem veniunt eorum conciones, quæ plurimos affecerunt, occaſione verborum ipſius Jehovæ Exod. 3, 14. ubi ſeipſum denominat EHEJE, *qui ſum*, ubi de unice neceſſaria, abſolutiſſime ſimplici, immutabili, independente, atque æterna Dei Eſſentia agebatur, eo modo, ut totam praxin Religionis Chriſtianæ, quæ in annihilatione noſtri, & unione noſtra cum uno vero Deo per vivificationem novi hominis conſiſtit, uno illo verbo includi, palam fieret omnibus. Item quas de verbis Chriſti habuere Matth. 19. *Nemo bonus eſt, niſi Deus.* & ſimilium, quibus recenſendis nimium me detrahere video eorum virtutis & pretii: Sed quædam addam de hujus efficacis Miniſterii effectis contrariis in cæteris auditoribus, qui vel è Zelandia, Ultrajecto, aliiſque locis, etiam remotioribus, veniebant, pietatis veræ, ut videbatur, ſtudioſi. Quorum primus erat, quod omnes fere veritates illas puriſſimas cum magno gaudio audiebant, & promto animo recipiebant: ſed quando ad examen revocabatur eorum praxis, & ab omnibus coarguebatur, ut 1. Cor. 14. ejus proponitur exemplum; tum multi, qui videbantur diſcipuli, receſſerunt; imo quidam hanc veritatem, de abſolutæ ſui abnegationis praxi, acerbiſſime oderunt: omnes tamen à Deo intus ſimul de ſua cœcitate, & corruptione univerſa ſui cordis & affectuum edocti, ſeſe ſerio abnegare

gare, omniaque vetera mortificare cœpere; ſibique moriendum eſſe, antequam cum Chriſto reſurgere poſſent, ex animo crediderunt. & quamvis ardua ipſis nonnunquam in hac via Domini occurrerent; exſpectantes tamen, ac fideliter veritates cognitas ſequentes, tandem juxta verba Chriſti, Veritas liberavit, ac certe quotidie liberat.

IX. Interea nullum tempus intermedium vacabat noſtris Anteceſſoribus, aut ab officiis cæteris paſtoralibus exſequendis; aut à ſcribendo talia, quæ vel ædificationi noſtræ eſſent Eccleſiæ privatim, vel publice omnes erudirent de noſtræ doctrinæ integritate ac puritate; noſtræque Eccleſiæ oſtenderent vel innocentiam contra calumniantes, vel etiam diſcrimen ab aliis, qui diverſam à noſtra tuentur ſententiam, vel praxin. Prioris generis erant libri, qui ſcilicet noſtræ doctrinæ puritatem, in Eccleſiæ regimine æquitatem, & in vita ſanctitatem invicte, & tamen modeſte aſſerunt, in primis *Fidei noſtræ Declaratio*, primum Gallico, ac poſtea Belgico, Germanico, & tandem Latino idiomate typis edita. poſtquam à quibuſdam Theologis impetita fuiſſet, & juſtam Apologiam, qua omnium veritatis hoſtium os ſimul ac ſemel obturaretur, exigere videretur: quocirca plenior deinde prodiit in lucem, ſub titulo, *Veritas ſui Vindex*: cum integro Scripto Belgico, quod *ejus Confirmatio* ſeu *Tabernaculum Dei detectum* opportune dicitur, quoniam in eo Eccleſiæ doctrina potiſſimum traditur, atque ita fuit aſſerta vel defenſa, ut à nemine huc uſque amplius oppugnata ſit. Hic accenſeri poteſt *Reſponſum*

ad Epistolam D. Pauli, ubi etiam Veritas asseritur, atque ab omnibus accusationibus falsis liberatur. Postremo non prætereundum *Scriptum*, quod *Quakerismi Examen & confutationem* continet, ac discrimen inter eorum & nostram doctrinam & praxin, clare Orbi repræsentat.

X. Hæc vero cum satis quiete, respectu civium Herfordiensium, peragebantur, latebat anguis in herba: Magistratus enim (non minus quam ipsi Ecclesiastici, nostri status ac veritatis ignari, quam etiam nosse procul dubio subterfugiebant) litem in Camera Imperiali, jam ab initio, ut videtur, nostri adventus motam, per procuratores, Principi nostræ Ecclesiæ Protectrici, ex improviso intulit; quod Cœtum neque Pontificium, neque Lutheranum, neque Reformatum, ut illi occœcati pronunciabant, in Imperiales terras introduxisset. Ita ut tum Principi, tum nostræ Ecclesiæ proponeretur Mandatum, quo ejus Celsitudini dimissio ejus, nobis migratio injungebatur post paucos menses vel septimanas. Quibus etsi plene responsum esset, nec arma ad jus suum tuendum, vel Principi, vel nobis deessent; tamen Celsitudini ejus visum est, hoc negotium primum per alios suos Ministros, deinde coram cum Electore Brandenburgensi communicare.

XI. Quando vero Principi iter faciendum erat ad Aulam Berolinensem, nostra Ecclesia ad ejus domum, Herfordiæ vicinam, se transtulit, quoad maximam ejus partem. Ubi ex conspectu admirandorum Dei operum, & perpetuis Religionis maxime spiritualibus ac divinis Exer-

ercitiis, plurimum in cognitione puriſſimarum veritatum, & praxi intimæ pietatis profecit. Verum poſtquam ibidem aliquot menſes ſatis tranquille vixiſſemus; pacem vicinorum locorum, adeoque noſtram, turbare cœperunt rumores bellici, qui quotidie increbreſcentes, nobis de noſtra ex iſtis regionibus migratione eſſe ſerio cogitandum, nos ſatis aperte monuerunt. Cum autem jam dudum nobis exſpectatus eſſet reditus Principis ab illa Aula, nec ullum amplius ſperare poſſemus divinæ Gratiæ, ac Regni Chriſti amplificationem, in iſtis ſcilicet ingratis terris, erga pacificos ejus Servos, & ſalutare Miniſterium ejus puri Evangelii; nec ullis vinculis devinciremur, qui nos hoſtem exſpectare juberent, communi quadam Epiſtola noſtram erga ejus Celſitudinem gratitudinem, quod nos tempore noſtræ ibidem commorationis protexerat, teſtati ſumus; additis diſceſſus noſtri rationibus, ſimulque ipſi Principi, atque univerſæ mox Weſtphaliæ valediximus.

XII. Jam vero experientia eramus edocti, quod Deus ſibi eum locum elegerat ad ſeparandam noſtram Eccleſiam ab omnibus iis, qui Deum & mundum, Chriſtum & Belial, ſive Deum & Mammona, omniaq; cetera à Deo diſparata, conjungere Amſterodami potuiſſent, atque avaritiam, ſuperbiam, aliaque vitæ ſpiritualis venena immiſcere divinis in promtu habuiſſent: cum eo loci nihil neque lucri à commercio, nihilque honoris ac commodi, aut ſibi, aut poſteris eſſet exſpectandum. Inde igitur major noſtræ Eccleſiæ pars ſe ad iter curribus conficiendum accinxit: & reliqua ejus

pars, cum quibuſdam nondum membris, & præcipue iis, qui ad curanda ea, quæ vel neceſſarii ſuppellectilis, vel Bibliothecæ & Typographiæ, navi erant transvehenda, maxime erant idonei, ibidem ad tempus fuit relicta.

Cap. IX.

De noſtro adventu in Regis Daniæ Oppidum Altonam, atque ibidem domicilii noſtri hucuſque fixione.

Hoc itaque caput de noſtra profectione inchoantem, illud me ad Dei noſtri gloriam commemorare in ipſo ejus initio juvat, quod nos proficiſcentes inſigni quadam fidei virtute induit, ut revera inſtar Abrahami olim Patriarchæ, Deum, nos inde avocantem, ſequeremur, neſcii quem locum commorationis aut habitationis nobis eſſet indicatura divina ejus Providentia. Uti autem ex ejus ductu, ceu veri Chriſtiani infantes, toti pendebamus: ita eadem nodis de omnibus benigniſſime proſpexit, viamque per ſingulos quaſi paſſus commonſtravit Altonam uſque, ubi nobis domicilium figere ſtatuerat Dei beneplacitum; cum nobis antea de nomine vix nota eſſet iſtæc civitas. Fatendum tamen eſt, quod paucis diebus ante noſtrum abitum, ſingulari occaſione aliquid de ejus privilegiis, quibus illi à Rege Daniæ inter alia, Religionis Reformatæ exercitii concedebatur libertas, noſtris erat relatum: verum tunc demum, cum quatuor tantum milliarium ſpatio abeſſemus Hamburgo, nobisque

ab

ab homine quodam ibidem nobis obvio, hujus loci conſtitutio propius deſcriberetur, vidimus optimum fore, ut recta eodem contenderemus, atque ad paucas quaſdam hebdomadas ibidem domum conducendam curaremus; exſpectaturi, quem locum fixæ habitationis nobis commonſtraturus eſſet Deus noſter.

II. Cum autem huc perveniſſemus, atque ædes valde incommodas, jam conductas, eſſemus ingreſſi, ſatis ſerio cogitabamus de noſtra migratione aliò, aut certe de aliis ædibus ad tempus conducendis. Sed aliud ſtatuerat divinum Decretum, ut nimirum hic ſiſteremus gradum: quod indicavit graviſſimo ac diuturno morbo, quem dilecto ſuo Famulo D. de la Badie, adeoque univerſæ noſtræ Eccleſiæ, immiſit, ad ejus fidei ac patientiæ exercitium, majorem purificationem, ac plenam abnegationem omnium creaturarum; cum illam voluntati ſuæ in omnibus vellet conformem: nec quicquam ei videri gratum & amabile permitteret, quam quod ipſa efficeret. Quinto itaq; menſe, cum jam ad ſummum gradum vis morbi aſcenderat, nec quicquam inter vitam & mortem ejus intereſſe dixiſſes, Deus mirabili quadam clementiâ Servo ſuo dedit reſpirandi quædam intervalla, quibus cygneas voces ſive, ut vocant, Emortualia proferre videbatur, ac convocata tota Eccleſiâ, omnes ac ſingulos peramanter ac fortiter alloquebatur, juxta cujusque gratiam & ſtatum ſpiritualem, unicuique accommodate proponens vitæ ſuæ vias; additis igneis incitamentis, ac ſalutaribus monitis, ad Deum ſolum amandum: cum evidenti Spiritus

S.

S. demonstratione, quæ nostræ Ecclesiæ maximæ fuere tum ædificationi, tum consolationi.

III. Donec tandem, tempore à Deo constituto, cum incredibili celeritate, pristinæ suæ sanitati, ac viribus restitutus est; atque instar aquilæ renovatæ, ad omnia intermissa ejus exercitia rediit; quibus Ecclesiæ *Vitam Christi*, de qua Herfordiæ pro suggestu dicere cœperat, novo quasi cum lumine, & zelo intimo, qui magis in ejus verbis sentiri, quam audiri solet, contemplandam & imitandam, qua imitari à Christianis debet & potest, proponebat: atque eandem peculiari Tractatu describebat. Ut jam nihil dicam de illo divino beneficio, quod illo tempore, quo Deus uni illi magno suo Servo silentium imposuerat, reliquorum nostrorum Antecessorum os & pectus ita aperuit, ut perpetuis suis sermonibus sive exercitiis, pro præsenti rerum statu, Ecclesiam indesinenter ædificarent ac corroborarent.

IV. Interea ob ædium angustiam (etsi jam magis amplas, sed non omnium capaces, essemus nacti) illa nostræ Ecclesiæ pars, quacum corde & anima eramus conjunctissimi, quæque è Westphalia Bremam se contulerat, corpore à nobis manebat separata. Sed & hoc fuerat in Dei decretis, ut purior lux vitæ Evangelicæ ac vere Christianæ, quæ in quibusdam ejus membris clare effulgebat, ibidem corruptionem hujus seculi detegeret, & exemplum imitatione dignum istius loci civibus, quibus propius innotuerant, relinqueret. Attamen paulo post, cum nobis divina benignitas domum quandam nostræ propinquam, ipsique commodam parasset

ſet, nobis tam externa quam interna unione conjuncta eſt. Ita ut de tota Eccleſia noſtra tunc dici poſſet, quod de primævis dicitur Act. 9: 31. *Habebant pacem, & ædificabantur, ambulantes in timore Domini, & conſolatione S. Spiritus replebantur.* Sic ut reipſa erudiremur, divinam jam eſſe voluntatem, ut præſenti frueremur pace. Et quamvis nobis alibi à Perſona quadam illuſtriſſima offerretur magis honorifica habitationis commoditas: tamen non facile nobis mutandum eſſe ſolum, noſtrorum Anteceſſorum erat judicium. Licet enim (ut hoc obiter hic notem) ipſis à mundanis hominibus exprobretur migrationis nimia facilitas, & frequentia: nobis tamen tum verbis, tum facto teſtantur, ſe nunquam niſi coactos neceſſitate, aut gravi de cauſa, quam in ſanctuarii trutina ponderant, de uno loco in alium migraſſe, nec in poſterum migraturos. Nec quicquam nos hoc primo vere, de domo non prorſus incommoda, in hanc commodiorem migrare fecit, niſi aperta Dei voluntas, cum nos venditionis & emtionis jure, de altera quaſi expulit ejus omnium directrix Providentia: & revera in noſtrum majus bonum. Siquidem à turba ac ſtrepitu hominum magis remoti, aperto cœlo, ac majore aëris ac terræ extenſione libera fruentes, quaſi expeditius ad eorum Auctorem & Conſervatorem erigimur, ad æternam ejus virtutem & Deitatem in variis iſtis & admirandis operibus contemplandam.

V. Verum longe majora ſunt, quæ inter nos quotidie conſpicimus divinæ Gratiæ opera, quæ revera univerſam rerum naturam maximo in-

intervallo tranſcendunt: quandoquidem novas creaturas (ut cum Scriptura loquar) creat, ac ſpiritualiter mortuos reſuſcitat, atque ex veteribus hominibus, novos atque infantes Chriſtianos producit: cujus certe exempla totidem, quot Eccleſiæ membra, habemus. Unum inſtar omnium hic ejus proponere ſpecimen, non erit inopportunum: quod occaſione renovationis noſtri domicilii, cum Deus Anteceſſorum noſtrorum animis novum atque ardentiſſimum infunderet deſiderium, renovandi quoque Eccleſiam noſtram; tam notabili divinæ ſuæ gratiæ operatione illi reſponderit, ut quotquot vel membrorum, virtute ac gratia renovante; vel eorum qui nondum in membra erant recepti, gratia regenerante indigebant, eâdem largiſſime à Deo hac vice donati ſint.

VI. Sed ut ad magis particularia tranſeam, quando renovatâ quadam virtute & efficacitate Spiritus, Eccleſiæ à fidiſſimis ejus Paſtoribus proponeretur, Chriſtum nihil vulgare & cum Chriſtaniſmi hodierni tepore ac languore commune, requirere à Sponſa ſua, quam à Mundo & mundanis tam accurate ſegregavit, ac quotidie Mannâ ac rore cœli nutrit ac perfundit; ſicque ad novum aliquod ſui Examen præpararetur; in primis vero ei neceſſitas Gratiæ & operationis Spiritus Sancti, ejuſque communionis, ad ſui renovationem ſpiritualem, demonſtraretur; ipſa & cæteri fere omnes, ei propinqui, in magnam exſpectationem iſtius gratiæ adducti ſunt; cum divinitus excitatũ ſentiret ejus ingens deſiderium: cui etiam benigniſſime reſpondit effuſiſſima quædam Dei gratia & benedictio ſingula-

laris, ita ut non modo omnia Ecclesiæ membra magnam ejus mensuram, ac renovatam quandam virtutem in vita Dei consecuta sint; sed etiam omnes alii, quotquot in familiam nostram recepti sunt, gratia reipsa eos renovante, facti fuerint participes.

VII Unum autem istius rei, & quasi visibilis conversionis ac regenerationis exemplum producam, in tribus simul nobis exhibitum, qui subito, ut olim ex Saule Paulus evasit, ex persecutoribus Ecclesiæ, ejus amantissimi facti sunt. Etsi enim fere anni spatio inter nos fuerant, atque maxime sublimium, pulcherrimarum, ac dulcissimarum veritatum divinarum cognitione se magnopere affici testarentur: imo abnegationem plurium rerum ad praxin revocare viderentur: nihilominus tamen, quando in hoc ultimo examine, maxime spirituali, atque irresistibiliter, ut ita dicam, detegente intima cordis, vix se illis annumerari viderent, qui unum, ac primum passum in via vitæ Christianæ promoverant, nec spem haberent, se ulterius in ea progressuros, misere contra hanc veritatem, sed tacite, recalcitrarunt. Et quia ea luce Spiritus destituebantur, quæ sola cœcitatem & tenebras nostræ Rationis humanæ detegit, & profunda amoris perversi nostri ipsius in lucem protrahit, etiam lumen sibi deesse non putabant: sed præsertim quia unus eorum, à quo jam alii pendebant, intellectus ac rationis lumine seu naturali, seu varia lectione ac tractatione rerum spiritualium sibi acquisito, non carebat; solium aliquod sibi erexit illorum perversa, & affectibus occœcata Ratio. Verum

rum alio genere luminis, aliaque gratia, hæc omnia immutante, ipsis opus erat: quam ipsis Deus, pro liberrima sua potestate ac clementia, ex improviso largitus est. Postquam enim jam omnia eorum conversionis media frustra videbantur adhibita, ad alloquium postremum Pastorum, & præsertim unius nostræ Ecclesiæ membri (cui Deus in mentem dederat, ut illos, discessum à nostra Ecclesia jam parantes, quasi postremo compellaret) illico ad eorũ verba lumen illud divinum, quasi cœlo delapsum, ipsorum oculos subito illuminavit, eosque adeo potenter affecit, acsi fulmine icti, in cinerem redacti essent, ex quibus mox novæ creaturæ enatæ sunt, quæ nunc inter nos cum gaudio, ut prorsus alii, ac novi homines, à nobis omnibus conspiciuntur & adamantur: ex superbis & sibi sapientibus, facti vere humiles; ex iracundis & ferocibus, vere mites & omnium fidelium amantes; & uno verbo, ex gigantibus, qui vel inscii, cœlum & Christum oppugnabant, vere infantes Christiani per divinam gratiam effecti.

VIII. Plura exempla non adducam: sed de eo nos per Dei gratiam gloriari fas est, quod illa neminem nostrum in hac renovatione præterierit; sed nos Dei & Christi amoris vinculo quasi novo nodo arctius connexo, in unum cor & animam propius conjunxerit: nosque adeo pedetentim ad staturam Christi excrescere, & per certos quosdam operationis divinæ gradus progredi fecerit, eo fere modo, quo in natura procedere solet, inprimis vero in productione viventium ac rationalium creaturarum. Et quamvis aliquando nobis agere videatur per saltum

tum; tamen revera hoc inde est, quod nobis non appareant singuli gratiæ progressus ac progrediendi modi, qui nobis aliquando videntur esse retrogressiones; cum tamen reipsa in hoc vitæ cursu, omnis motio sit promotio. Quemadmodum autem novem mensibus, dum in sinu matris latet embryo, minime otiosa, aut sui operis negligens est natura, aut verius Deus naturam agere faciens, etsi nemo ejus formationem observat, sed post partum tandem existere videmus: ita in opere supernaturalis gratiæ, suo tempore animadvertimus novæ creaturæ quasi partum; & nonnunquam secundum partum: sic enim testatur Apostolus, quod Galatas iterum generare studuerit. Et hoc illud ipsum est, quod in nostris Pastoribus nobis observare licet, qui, postquam Ecclesiam, aut potius quædam illius membra, ad vitam suam pristinam aliquo modo redire vident, illos quasi de novo in lucem Evangelicam emittere student. Unde factum videmus, ut etiam diversi fuerint nostræ Ecclesiæ quasi partus: quorum nunc postremum, post morbum & convalescentiam D. de la Badie, hic notatu non judicavi indignum.

IX. Me autem Dei erga me singularem gratiam, nunquam satis celebrare posse arbitror, quod in illa inciderim tempora, & in talem Ecclesiam, cui Deus Pastores dederit, juxta prophetias, qui sunt secundum cor Dei, & nostrum, atque ovile nobis paraverit, ubi nulli amplius neque lupi, neque hirci ovium quietem turbant. Et ut sine figura loquar, ubi Ecclesiæ, ad exemplum Hierosolymitanæ omnium

pri-

primæ & optimæ compositæ, parvam, sed & vivam videmus imaginem, qualem hoc tempore existere posse negarunt illi, qui suis viribus opera Dei metiuntur, nec S. literis fidem habent. Et, quid hoc addere vetat, unde revera Regnum suum pacis, ab omni Antichristianismo remotum inchoat, & forte brevi, post destructionem Mundi Antichristici, per universum terrarum orbem extendet.

X. Ex hisce omnibus liquet, quam felici loco sit Ecclesia nostra, quem illi assignavit & paravit divina Bonitas & Providentia. Variis quidem afflictionibus atque incommodis illam exercuit; sed crux Christi vera via erat, qua Deus ipsam suæ sanctitatis ac puritatis participem reddidit, à mundo segregavit, ac sibi in universum, ut populum peculiarem acquisivit. Et ut ipsi dederat in mandatis, ut à Mundo secederet, addita illa promissione, quæ 2. Cor. 6, & 7. recensetur, his verbis: *Exite è medio eorum, & separamini, dicit* Dominus, *& impurum ne attingite, tunc ego assumam vos: & ero vobis pro Patre, & vos eritis mihi pro filiis & filiabus, dicit Dominus Omnipotens:* ita hanc suam Ecclesiam reddidit fidelem, ipsius gratia paterna, ut ejus mandatum exsequeretur; eoque illius promissionis consecutione ac fruitione beata fieret, simulque *ab omni inquinamento carnis & spiritus reapse purgaretur.* Quid igitur obstat, quo minus exultet in viis Domini? atque insuper obediat Apostolicæ adhortationi, suæ sorti apprime convenienti 1. Thess. 5: 16. *Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite: Hæc enim est Voluntas Dei per J. Christum erga vos.*

XI.

XI. Nostræ Ecclesiæ fidelissimi Pastores jamdudum præviderant, Deum huic suæ promissioni fideliter ac benigne responsurum, postquam ejus filii & filiæ ab ejus inimicis forent reapse segregati, ideoque etiam constanter exspectaverunt, ut ipse hoc sanctum ac salutare Schisma perficeret. Et revera Deus solus illud mirabili via effectum dedit. Non fuit hoc opus hominis, ut etiam non fuerat hominis propositum; sed fuit opus Spiritus Jehovæ, qui non minus facili, quam occulta ac potenti manu hoc suum consilium ac decretum, per homines etiam ejusdem inscios, suisque tantum affectibus litantes, exsequi voluit ac potuit.

XII. Quod si eas admirandas divinæ Providentiæ vias, quas in hoc opere exsequendo, observare sæpius gestivi, cum rerum externarum facies animum meum, ob hominum peccata haberet anxium, quasque in superioribus tantum in genere ac sparsim attigi: hic ordine & singulatim prosequi velim, præclara certe inde exorirentur ejusce veritatis argumenta; sed mihi nunc satis erit, ut fidele reddam testimonium iis rebus & operibus divinæ gratiæ, quæ mihi magna cum certitudine veritatis innotuerunt. è quibus palam fiet, uti Ecclesiæ nostræ Antecessorum, ita & ipsius Ecclesiæ in hoc negotio puritas & innocentia.

XIII. Tametsi enim vel ab initio haut obscure conjicerem, hanc esse D. de la Badie ejusque in Christo Fratrum sententiam, Deum tandem illos collocaturum & ducturum eo loci & status, quo se nunc perductos vident: tamen sancte affirmare possum, eos me suis verbis &

factis, iisdem respondentibus, jugiter convicisse, quod nihil agerent eo animo, ut ipsi res eo dirigerent, aut quicquam urgerent, quo eodem citius pervenirent; sed è contrario sic nihil omittebant eorum, quæ ad formationem aut reformationem suæ Ecclesiæ Medioburgensis aliquid conferre videbantur, ut omnia hujus Pastoratus officia non aliter præstiterint, acsi exinde integram ejus exspectassent Reformationem; atque in illa fuissent spe, inde exstituram universalem omnium, etiam aliarum Ecclesiarum, emendationem: optime scientes, fidelis esse ministri, Domini sui mandata fideliter & hilariter exsequi: Domini, mandata dare, rebusque eum largiri eventum, qui cum ejus Decreto ac beneplacito conveniat.

XIV. Omnibus profecto notum est, quanto cum zelo, mirabili cura ac vigilantia, labore indefesso, & vere divina constantia tribus aut quatuor annis illi Dei Servi hoc Ministerio functi sint Medioburgi, ita ut nunquam intermiserint istius Ecclesiæ, quam revera corde intime complectebantur, institutionem, nec exhortationes ad vitæ ejus emendationem; nec etiam in primis illius convictionem de ejus defectione à Spiritu Christianismi, ac vera illa fide, quæ semel data erat Sanctis: idque tam suis frequentibus & præcellentibus concionibus, atq; exercitiis publicis, quam privatis catechisationibus & alloquiis, rebus & personis accommodatis, particulariter singulos ædificantes, qui istius erant congregationis. Ut de illustri illa Cœna, quam incomparabili fortitudine Christiana, invita Synodo, postremo ibidem cele-

bra-

brarunt, quæ impiis terrorem, piis consolationem ingentem, omnibus stuporem attulit, nihil dicam.

XV. Præterea mihi notissimum est, quod D. de la Badie nihil omiserit eorum, quæ alios etiam Ministros ad eandem animi fortitudinem & sanctitatem sancte excitare poterant; & quot ac qualia excitabula & consilia transmiserit Ultrajectum, quæ sane divinum zelum & constantiam spirabant: nec quenquam latent Scripta publica, quæ *de Reformatione per Pastoratum* duobus tomis edita sunt, præter illud ejusdem fere argumenti, quod primum Ultrajectum missum, deinde Belgice divulgatum est; atq; alterum, *de Casibus conscientiæ circa Pastoratum*, Gallice typis mandatum. Initio multi laudarunt ejus zelum, mirati sunt ingentem animi magnitudinem, atque ejus propositum & acta, generositate Christiana digna, vehementer approbarunt. At nemo inventus est, qui constanti proposito se componeret ad incedendum eadem via, ejusque vestigia premeret. cum enim mox, postquam aliquot passibus videbantur progressi, se ipsis offerrent obstacula, tam vera quam imaginaria, timide & ignave retrogressi sunt. Quidam certe vim intulerunt propriæ conscientiæ, perinde atque apertis suis verbis, quibus se fortiter ac sancte obstrinxerant, se hoc opus Dei, quo Reformatio procederet universalis, ac Causa Dei triumpharet, neq; ut sibi aut suis, neque multo minus, ut suo honori, aut vitæ commodis parcerent, nunquam deserturos. Sed fidem suam fallere, moris esse videtur hodierni. Itaque Deus solus constanter

& benigne adfuit his ſuis fidis Miniſtris, ejusq; brachium illorum cauſam, quæ ſua erat, ſuſtentavit, atque ejus dextra omnipotens ſuperavit omnia molimina mundi & inferni. Ad eorum auxilium iis non adfuerunt eorum ſic dicti fratres, *non advenerunt ad auxilium Jehovæ inter fortes* Jud. 5: 23. Sed *omnes*, hos Chriſti aſſeclas, ut olim in munere ſuo infideles S. Paulum, *dereliquerunt.* Atqui certo perſuaſi etiam eſſe debent omnes, qui non perſeverant in viis Domini tempore probationis & prælii, eos etiam partem non habituros in ejus victoria, triumpho, atque optima pace.

XVI. Verum hoc inſuper multorum culpam aggravat, quod non ſolum derelicti fuerint hi Dei Servi optimi, eo tempore, quo cum vitiis & pravis moribus, atque univerſali mundi corruptione colluctabantur; ſed & tunc etiam, cum, vi & amore veritatis coacti, cum erroribus ac perniciosis dogmatis, quaſi in ſinu iſtius Eccleſiæ natis, cominus manus conſerere tenebantur. Sat omnibus, qui iſtis rebus interfuerunt, nefandaque dogmata *Ludovici Wolzogen*, paſtoris Wallonici, propius norunt, compertum eſt, quam vera ſint ea, quæ hic profero. Tametſi enim quidam Theologi ſe ab hac cauſa ſtare, aliqua ex parte declararint, quando ea ab adverſariis potentioribus tantum non obruebatur: tamen plurium conſcientia illos redarguet, ſe nec ſibi, nec cauſæ Dei ſatisfeciſſe. Alii vero pleniſſime in ſuo corde convicti manent, ſe revera canes fuiſſe mutos, quales averſatur Jehova Jeſ. 56: 10. adeoque tepidos ac timidos, quorum priores Chriſtus ex ore ſuo evomet, & poſtremos habebit pro execrandis.

XVII.

XVII. Porro & hoc notandum hoc loco de fidelibus nostræ Ecclesiæ Pastoribus, quod sicuti illi Mundum excommunicarunt, quantum in ipsis erat, eo quod ejus impietatem, malignitatem, crimina, & hæresin condemnarunt, eorumque patronorum communionem se aversari testati sunt: ita & ipsi à Mundo rejecti & quasi excommunicati sint; sicut Christus olim à Synagoga: Apostoli ac primævi Christiani à Judæis; qui se eorum fratres, & Judæos appellabant, cum ii non essent, sed Synagoga Satanæ, ut illos vocat Salvator in sua Apocalypsi. Satis in Hollandia, & ubique pene pervulgatum est, quam vehementem atque acerbam hi Servi Christi perpessi sint ab istis Fratribus persecutionem, tam propter fidei, quam pietatis defensionem ac propagationem. Quod etiam forte ex hoc Scripto magis Orbi innotescet; ut alia nunc taceam Scripta, quæ hoc planius manifestarunt, quorum titulos hic recensere non pigebit: *Querelæ Apologeticæ duabus partibus, Literæ Apolog. circulares, Judicium Synedrii Ecclesiæ Wall. Medioburgensis de prætensa suspensione D. de la Badie, Fidelis relatio eorum quæ acta sunt in Synodo Wallonica Naerdensi, XIV. Animadversiones in judicium Synodi Wall. Naerdensis, Epitome causæ Ecclesiæ Wall. Medioburgensis cum Synodo Wallonica coràm Ordd. Zelandiæ disceptatæ, Compendium Animadversionum in libellum L. Wolzogen, Duo Inimici Amici, Heterodoxa fides L. Wolzogen, Literæ Ecclesiasticæ ad quendam Politicum scriptæ, Brevis relatio eorum quæ acta sunt in Synodo Wallonica* Dordrechtana, *Declaratio disunionis à Synodo Wallonica &c.*

Quæ omnia idiomate Gallico edita, ac partim etiam in Belgicum translata extant.

XVIII. Postremo commemoratu dignissimum puto, quod ipse Mundus plurimum ad hujus Ministerii, hujusque Ecclesiæ liberationem contulit, tum sua extrema corruptione, tum sua summa impudentia, qua sub Ecclesiæ infula, se Christi vasallum, imo sponsam nuncupat: id quod hi Sponsi amici, ac vera ejus Sponsa ferre non amplius sustinebant; tum etiam eam acceleravit sua ferocitate ac violentia, quibus hoc Ministerium, sibi nimis molestum & oppositum, à se removere moliebatur. Fugavit itaque hos Christi nuncios, qui pacem afferebant iis, quibus contingebat sat esse beatis, ad eam amplectendam, domique suæ recipiendam. At quid, obsecro, hoc suo agendi modo lucratus est Mundus? Et quid etiam istæ corruptæ congregationes effecerunt, quæ æquis oculis adspicere recusabant, ut ipsis monstraretur earum à prima caritate defectio: nisi forte quod magis atque apertius ipsæ detexerint miserum ac desperatissimum suum statum.

XIX. Babylon sc. sanari noluit! ideoque sibi fuit relinquenda. Quid autem aliud tandem exspectare debet, nisi plenam effusionem phialæ postremæ iræ Dei, ejusque plagarum ac judiciorum ultimam periodum. Hæc quidem ex parte sentire cœpit; sed nihil inde profecit. Dominum Deum cogere velle videtur, ut se penitus destruat. Dum ejus infinita Bonitas quotidie nobis novam parat suæ laudis ac benedictionis materiem, & istam, inter alia innumera, quod nos eo posuit loco, quo bellorum fla-

flagella non pertingunt: & quod majus beneficium divinum est, eam nobis largitur gratiam, qua omnes etiam parati sumus ad osculandam divinam voluntatem, si quidem ea nos cum reliquo terrarum orbe iisdem involveret. Nobis certe non minus amabilis est Deus, justitiam, quam misericordiam exercens, cum ab eodem simplicissimo principio utraque proveniat, ac summum bonum, Dei nempe gloriam, semper habeat pro fine. Et revera Christiano nomine indignus esset, siquis minus sincere se in sacrificiũ obtulisset Deo & Christo, qui se Patri suo pro nobis in Sacrificium prius consecravit, non mutabili proposito, sed ipso facto, quando animam suam posuit pro multis Jes. 53. Itaq; in eo nostram ponimus beatitudinem, quod Deus nobis suo Spiritu eam mentem dederit, ut nostra omnia, vitam ac mortem, quin imo salutem simul ac semel & serio tradiderimus ejus sanctissimæ ac liberrimæ dispensationi & consilio, cui inservire toto vitæ nostræ curriculo, usque ad ejus constitutum terminum, toto corde desideramus: ad exemplum Dei Servi Davidis, de quo legimus Act. 13: 36. *postquam ætate sua* (nempe ipsi à Deo determinata) *inservivit Dei consilio, obdormivit.* Adeoque omni nostra curâ de anima & corpore nostro (quæ sane non nostra, sed Dei & Christi sunt) in Deum devolutâ, nihil præter obedientiæ gloriam, aut verius Dei omnium Domini gloriam nobis in oculis & animo habendam esse putamus.

XX. Hanc vero, omnibus vinculis terrenis soluti, non solum corde & opere; sed & lingua ac cantu perpetuo celebramus in hac domo ora-

tionum. Cujus argumentum nobis sæpe suppeditant Psalmi ejusdem Prophetæ, *amœni Psalmistæ Israelitarum*, ut de eo loquitur Spiritus Dei 2. Sam. 23. præsertim ii quos Evangelice composuit: sed & illi qui ab ejusdem insigni imitatore D. de la Badie titulo *Psalmorum Evangelicorum*, in lucem editi sunt: uti etiam sacri Cantus de Perfectionibus divinis, inscripti *Sanctæ Decades*, Gallice *Les Saintes Decades*. Præterea Canticum regium Magni Regis JESV, *Le Chant Royal du Grand Roi* JESVS. Unum porro præstantissimum, quod omnia Dei Filii Admiranda proponit, atq; Ecclesiæ nostræ celebranda ac deprædicanda exhibet, cum hac inscriptione CHRISTVS *de novo revelatus*, Gallice *Christ revelé de nouveau ou d'une nouvele maniere*. Ut taceam tot alia devotissima Cantica, quæ omni occasione dictitat Amor JESV, & desiderium insatiabile Nomen ejus glorificandi, quibus illum vel ut infantem in præsepi ac cunis vagientem, vel ut in ætate perfecta omnibus filiis hominum pulchriorem, vel in morte patientem, pro Ecclesia satisfacientem, eamque secum sanctificantem; vel per Resuscitationem triumphantem, nobis ad vivum repræsentat: quibus vel singuli seorsum, vel omnes congregati, elevamur ad amandum ac laudandum magnum, amabilem, atque adorabilem Dominum nostrum JESVM.

XXI. Nunc autem facile, puto, meis amicis ac notis ex modo dictis constabit, statum mihi quoad vitam spiritualem obtigisse exoptatissimum, sive nostros Doctores ac Duces, sive nostram Ecclesiam ac Familiam, sive me ipsam in-

intuear. Certe si *in multitudine Consiliariorum salus est*, ut dixit regum sapientissimus in sanctis suis Proverbiis: sancta ac salutaria consilia nobis non desunt eorum, qui in omnibus Deum consulunt, & quibus, per optimam experientiam, viæ Domini innotuerunt: ita ut in eo adimpletum quotidie sentiamus divinam hanc prophetiam sive promissionem: Daturus sum vobis Pastores ex sententia animi mei, qui pascent vos scientia & intelligentia. Nam revera nos pascunt verbo, & pascunt exemplo: Verbo, quod ex eorum pectore & corde, tanquam è fonte perenni, depromunt. Et exemplo, ad exemplum vitæ Christi efformato, quo simplici, puro, nativo ac constanti in viis Domini incedendi modo, nobis indesinenter præeunt, sic ut eorum naturam in gratiam, imo & gratiam ipsis in naturam conversam dixeris; eoque vivam nobis imprimant Evangelici Pastoratus Ideam. Quod si ad nostram Ecclesiam animo convertimur, siquidem veri Christiani, hoc est, sibi & mundo mortui, aut reapse quotidie morientes, Deo verò soli viventes, ac Christi genuini imitatores veram & optimam constituunt Ecclesiam: illam, jamdudum alibi frustra à me quæsitam, hoc tempore tandem cum magna consolatione hic certe conspicio, ejusque communione gaudeo.

XXII. Si vero me ipsam privatim respicio, quamvis ut sanctorum minimam, tamen ut verum ac vivum hujus veræ ac vivæ Ecclesiæ membrum, ejusdem Spiritus ac gratiæ particeps, nihil mihi amplius deesse arbitror: sed omni parte, etiam ante obitum, mihi videor beata.

Si

Si enim *beatus est, qui habet omnia quæ vult, & nihil vult male,* ut Ethnicus Christiane locutus est; vel omnium meorum amicorum calculo me probabo beatam, siquidem nihil nisi quæ Deus noster vult, qui nisi optima velle non potest, per ejus gratiam volo; & quia nihil præter æternum & optimum ejus decretum accidit, aut ille ipse agit, ideo quoque nihil aliud quam quod fit, & ipse facit, volo. Nunquam enim Deum, omnium Ordinatorem, primum Motorem & Gubernatorem fine suo, qui summa & sola ejus Gloria est, solumque bonum necessarium, posse excidere extra controversiam pono. unde efficitur ut nec ego unquam meo, qui cum fine divino coincidit, excidere queam. Et cum antea variis circumagerer desideriis, tum multa sciendi, tum agendi, ita ut nusquam mihi standum esse putarem: nunc nihil amplius scire cupio, nisi quod mihi Deus per suum verbum ac Spiritum, divinamque Providentiam vult revelare; nihil esse, aut possidere, aut facere exopto, nisi quod eadem perpetuo ipso facto se velle declarat: aut etiam nihil non pati velim (quod difficillimum videtur) quod Deus meus me vult pati. cum *omnia possimus* cum Apostolo, *per Christum, qui nos corroborat.* Phil. 4.

XXIII. Plurimum autem in illa praxi & fiducia nuper confirmata sum, cum divina benignitas nostram postremo renovavit Ecclesiam, ut supra recensui, ubi me communi illo verbo, quod *neminem præterierit*, inclusi, non enim aliorum membrorum gratia, minus quam nostra gaudemus: sed ad meam beatitudinem clari-

rius, & ſpeciatim deprædicandam hoc addam, quod cum ego una cum reliquis Eccleſiæ noſtræ membris, quæ non paribus paſſibus, ut quædam inſigniora, *inſtar lucis ſplendentis & pergentis uſque ad plenum diem* Prov. 4. fuerant progreſſa, in magna eſſem exſpectatione renovantis gratiæ, qualis nobis cœlitus videbatur promitti; atque occaſione examinis viarum noſtrarum, reliquias avaritiæ ſpiritualis, nimii amoris donorum ac bonorum Dei, meæque imperfectionis quandam impatientiam, adeoque defectum abnegationis mei ipſius, atque univerſi amoris creaturæ deprehenderem, ejuſque onere nimium deprimerer, quod retrogredi potius quam progredi in robore & conſtantia in viis Domini mihi viderer: loco meæ conſternationis, quæ divinam merebatur derelictionem, tam benigne me reſpexit divina Clementia, ut primum tranquillato paulum animo meo, tanta amplitudine infinitæ ſuæ Majeſtatis me circumcinxerit, ſuæque divinæ præſentiæ ac bonitatis ſenſum impreſſerit, ut me totam, meaque deſideria omnia, tamque mea præſentia quam exſpectanda bona malaq; , quaſi de novo magis abſolute, & fide ac amore puriore quam unquam antea in eum tranſtulerim. meq; ipſa penitus neglecta, tanquam poſſeſſionem alterius, nempe Dei & Chriſti Hæredis omnium, intuens, de nulla re amplius, quam ut ejus me conformem divinæ voluntati, exinde fuerim ſollicita. Plene nimirum ac plane me ſentio convictam, per amabilem hanc veritatem, quod ille ſolus dignus ſit, cui ſe omne genu flectat, ejuſque ſola fiat & ametur voluntas in nobis & de nobis; ut-

utque omnis creatura eo gaudeat, quod ſit, & quod Deus glorioſiſſimus ſit. qui, quemadmodum ſolus eſt ens neceſſarium, ita meretur ut ſolus ſit beatus; quemadmodum etiam ſolus eſt bonus, teſtante ejus Filio, qui ſolus novit Patrem, & ii ſoli, quibus ipſe Patrem & ſeipſum vult revelare; ut qui ſolus eum recte & adæquate novit. Itaque nihil aliud eſſe, quam quod Deus me eſſe vult, deſidero; & ut eo modo quo ipſe vult, glorificetur. Uno verbo, hæc ſtatus mei renovatio mihi alter quidam vitæ meæ ſpiritualis partus eſt: cujus effectus melius ſentire, quam effari valeo; & quales mihi forte plures exſpectandi ſunt ab eadem gratia renovante ac corroborante, donec in poſtremum cœleſtis perfectionis & gloriæ ſumar partum.

XXIV. Si vero externa, quæ me, vel hanc Dei familiam ſpectant, hic quoque in cenſum venire debent, me certe primo, quoad locum meæ habitationis, in alta pace & quiete video, qualem nunc Ultrajecti inter arma & armatos nemini etiam fidelium obtingere poſſe exiſtimem. Si ſtudia & occupatiunculas, mihi ibidem uſitatas, conſiderem, quæ mihi potiſſimum varietate placebant; certe abnegatio nimii ſciendi deſiderii, multiplicatarum ſcientiarum comprehenſione, quæ nos à ſimplici & pura cógnitione Chriſti crucifixi ut plurimum abducere ſolet, nunc mihi longe carior eſt, & eſſe omnibus debebat. Meas vero artes & varia opuſcula manuaria, quæ mihi alicujus videbantur eſſe pretii, nunc aranearum telis ſubtilitate vinci erubeſco; & apes noſtras me ſua ſedulitate & ſapientia in eo ſuperare video, dum ingeni-

niosis ac quadratis suis cancellis, suas ædes instruunt, quos non alieno colore superficie tenus pingunt, sed ibi mel reale recondunt, sibique & domino suo de optimo cibo provident. Ita ut nunc quod bonum est, juxta monitum Apostoli, manu mea operer, unde aliquid fructus ad commune Ecclesiæ bonum proveniat. Quodsi porro consortia intuear eorũ, quibuscũ dies transigo, nusquam mihi in nostra familia alii occurrunt, nisi vivæ imagines Christi, aut certe tales, qui mundum spernunt, & se Christianæ vitæ studio devoverunt, &, quod incredibilis jucunditatis est, loco unius aut alterius famulæ mercenariæ, me sæpe dignissimarum Sororum amabilissima corona circumcingit: quarum singulas pro aliis vitam suam ponere, & quotidie consumere paratas videas: tantum abest, ut earum manus amicissimæ mihi non opem ferant in omnibus, quæ alterius auxilium desiderant. Curæ domesticæ sicui Sororum demandatæ sunt, quibus ego ætatis beneficio sublevor, tractantur sine cura aut ulla molestia Caritate Christiana docente & animante omnia. Ordine vero jam pulcherrimo constituto, convenienter rebus & personis, omnia juxta proportionem optimam magna hilaritate, facilitate ac tranquillitate efficiuntur, ex amore mutuo, ut dixi, & vere Christiano. Si olim Cicero non immerito magnum esse bonum judicavit Amicitiam, imo Solem è mundo tollere asseveravit, qui ex hac vita tolleret amicitiam, quam sane mira cum dexteritate descripsit, quod sit *omnium divinarum ac humanarum rerum cum benevolentia summa consensio*: Ego quo-

quoque eo nomine omnium judicio censenda ero beata: cum in nostra domo sive Ecclesia, amicitia Christiana, quæ sola vera est amicitia, instar Solis omnes illuminet & animet. Cumque inter amicos omnia communia esse, cum ipso statuendum sit, ipsa quidem primo commune nostrûm omnium bonum est: deinde & omnia nobis interna, perinde ac externa bona, sunt communia; ita ut nemo quicquam sibi quid proprium esse dicat, ut in primæva Ecclesia Hierosolymitana Act. 4: 32. aut ullus egenus sit inter nos. ibid. v. 34. Quod mirandum non est, cum inter nos *nihil se plus quam alterum diligat amicus*: quod idem auctor Ethnicus in amicitia requirit. Attamen veram ac divinam amicitiam non novit Philosophia Ethnicorum; sed sola Christiana Religio, ejusque viva praxis: cum Christi Spiritus, essentialis quippe Caritas, solus eam doceat & operetur inter fideles. eo modo, ut non tam se invicem respiciant & ament, quam CHRISTUM qui in ipsis vivit & regit, amant & glorificant. Quam praxin fidelium commemorat Apostolus, quando de sua conversione loquitur ad Gal. 1. 24. *Glorificabant Deum in me*, ut habet textus originalis. Mundus itaque, ac falso nominati Christiani hanc felicitatem non cognoscunt, qua toties Christi multiplicantur imagines, & in uno suo Prototypo sive Exemplari uniuntur, unde omnes inseparabiliter, ut radii à suo Sole, pendent & sustentantur, quoties eorum numerus augetur: quo lucro sane non minus inter nos oritur gaudium, quam Salvator in cœlo existere, propter conversionem vel unius pec-

peccatoris, affirmat: quod regnum Satanæ ſubdito ſuo ſpoliatur, & Chriſti Regnum, quaſi in ejus præludio, accreſcit. Ad famæ autem meæ claritatem quod attinet, jam antea indicavi, quod non ſolum illi gloriam, ſed & ignominiam Chriſti, infinitis modis præferam, cum fideli ejus Servo Moſe, & electo ejus vaſe S. Paulo, qui *omnia damnum eſſe duxit propter eminentiam notitiæ Chriſti Jeſu Domini ſui:* imo omnium jacturam fecerat, & *pro ſtercoribus* habuit, *ut* CHRISTUM *lucrifaceret.*

Eundem ergo imitatorem Chriſti imitari ſerio deſiderans, *ea quæ à tergo ſunt obliviſcens, & ad ea quæ à fronte ſunt contendens, ſcopum verſus feror, ad præmium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto.* Atque una cum ejus Eccleſia *nos omnes ut municipes cœli gerimus, unde etiam exſpectamus Dominum Jeſum: in eoque perſtamus.* ut Apoſtolus Philippenſibus loquitur. Ideoque poſtquam ſtatum meum præſentem beatum eſſe, mihique partem ac ſortem optimam obtigiſſe probavi, quam Εὐκληρίας nomine in hoc Scripto inſignivi, cum Chriſti Eccleſia, ad Sponſi ſui verba Apoc. 22: 20. *Etiam venio cito, Amen*: ejus Sponſæ verbis, *Veni igitur Domine* JESU! concludo.

SOLI DEO HONOR & GLORIA!

Lectori S.

OPusculum jam impressum perlegenti cum varia sphalmata, quæ inter imprimendum excidêre, sese mihi obtulerint, pleraque hic annotanda esse duxi: Cetera, siquæ forte supersint, Lectori corrigenda relinquens.

ERRATA.

Pag. 4. Lin. 25. lege *toti.* p. 7. l. 16. *meam.* 9: 15. *si.* 10: 15. *vindicaturum.* 20. & ad. 12 25, *efficiam.* 13: 7. *in* Orbe. 15. pro *sua* l. *meæ.* 16: 28. *honestatis.* 22: 2. dele *quod.* 23: 34. sed *si.* 25: 15. *sim.* 36: in tit. cap. 3. *olim fovi &* nunc. 37: 33. *adscribunt* 38: 1. dele *quod.* 40: 31. *eas.* 42: 16. *videndum.* 43: 27. *nec* à quo. 44: 33. *debere.* 52: 12. & suam. 59: 3. *mundanos.* 4. *ipsos.* 62: 14. *servitium.* 64: 28. post *Israelem Dei* adde *s u Israelitas in spiritu.* 66: 1. *possent.* 9. *esset.* 69: 18. *oportuerit.* 70: 26. *adhibiturum.* 79: 21. *ulli.* 87: 11. *illarum.* 91: 16. *Catechumeni.* 93: 18. *duos.* 94: 1. *maxima parte.* 99: 5. *præscientiam.* 102: 34. *intueamur.* 104: 1. *pepererit.* 30. *constituant.* 106: 18. *quoscunque.* 107: 20. *Angeli.* 117: 16. *quorum.* 119: 10. *nulliq;.* 124: 22. *ulli.* 126: 1. *qua.* 141: 3. *grassans.* 143 28. *tentaverit.* 147: 13. *quæ.* 161: 28. *ipsis.* 166: 25. dicitur *Antichristus.* 172: 15. *debere.* 174: 7. *incommoda.* 183: 15. *quæ.* 189: 6. *ejus* fuerint.

$6.00 1867

Gray

[illegible] !